OBSERVATIONES MEDICÆ JOANNIS A BONA VERONENSIS

PATAVINÆ ACADEMIÆ PROFESSORIS

Ad Praxim in Noſocomio oſtendendam

ANNO MDCCLXV.

PRÆMISSA

ORATIONE PRIMA

IN GYMNASIO HABITA,

Et, mantiſſæ loco, addita Hiſtoria aliquot Curationum mercurio ſublimato corrodenti perfectarum, olim edita.

PATAVII MDCCLXVI.

APUD JO. BAPTISTAM PENADA EJUSD. ACAD. TYP.

SUPER. PERM.

ILLUSTRISSIMIS, ATQUE EXCELLENTISSIMIS

ANGELO CONTARENO

ÆDIS D. MARCI PROCURATORI,

ANDREÆ THRONO

E Q U I T I,

HIERONYMO GRIMANO,

TOTIQUE TRIUMVIRUM LITTERARIORUM ORDINI,

JOANNES A BONA.



C*Um illud Vobis*, SENATORES AMPLISSIMI, *quod in cæteris rebus ſemper, nuper item in hac Clinices Schola conſtituenda conſilium fuerit, ut commoda publica augeretis, officii*

ego mei eſſe exiſtimavi , me , cui Doctrinæ hujus explicandæ munus impoſitum eſt , modis quibus poſſem omnibus , iiſdem commodis inſervire. Quæ itaque omnia anni unius ſpatio obſervata ſunt a me in medicina ex præſcripto Veſtro facienda in Noſocomio hujus Civitatis , vulganda ea eſſe putavi , ut , ſiquid utilitatis in ſe haberent , id non intra diſciplinam dumtaxat ſtudioſæ illius Juventutis , quæ mihi frequens adeſſe ſolet , conſiſteret , verum ad omnes perveniret , qui Arti huic operam dant. Vos igitur oro , obteſtorque , SENATORES AMPLISSIMI , *ut Obſervationes haſce Nomini Veſtro Clariſſimo inſcribi , & , cum ſub Auſpiciis Veſtris ortæ ſint , ſub iiſdem prodire ſinatis. Quærendum enim eſt mihi ornamentum , & præſidium huic opuſculo ; neque aliunde majus petere poſſum , quam a Vobis , quorum ſumma Virtus , & Sapientia ad totius Gymnaſii decus , atque tutelam conſilio Auguſti Senatus Veſtri plane divino , dicata eſt. Si vos opu-*

ſcu-

ſculum hoc pro ſumma Veſtra intelligentia, & auctoritate probabitis, nemo erit qui non probet; mihique ex approbatione Veſtra tantum accedet animi, ut ſi tenuem fructum tulerit primus annus laboris mei, multo ampliorem (quantum quidem induſtria conſequi potero) ſequentes anni ſint allaturi. Orationem præmitto, quæ primum a me habita in Gymnaſio eſt, ut illi ipſi, qui neque Scholas frequentant, neque Noſocomium, totam novæ hujuſce Inſtitutionis rationem, ordinemque teneant, Veſtræque providentiæ ad omnia experrectæ gratias habeant.

Pat. poſtr. Kal. Majas MDCCLXVI.

LECTORI BENEVOLO.

SI quid utile in re Medica eſt, id certe à recta obſervandi ratione petendum videtur. Quapropter Triumviri Sapientiſſimi Academiæ Patavinæ Moderatores eo conſilii devenerunt, ut novam docendi rationem inſtituerent, in qua Diſcipuli ad Ægrotos cubantes accedere poſſent; quod Auguſti Senatus Decreto confirmatum fuit. Ut igitur, ſtudioſe Lector, hujus novæ Scholæ ſpecimen habere poſſis, & inde futuram utilitatem conjicere, primam Orationem a me in Gymnaſio habitam VI. Kalen. Februar. præteriti anni MDCCLXV. oculis tuis ſubjicio, ex qua

præ-

præſcriptam docendi methodum facile cognoſces. Te autem rogo, atque obſecro, ut haſce meas Obſervationes æquo animo accipias, in quibus, ſi nihil tua Benevolentia dignum apparuerit, veritatem certe, juvandique animum ſaltem invenies.

O R A T I O
IN GYMNASIO HABITA

Exeunte Januario MDCCLXV.

QUemadmodum nulla Urbs eſt, nullaque regio (Pro-Syndice præſtantiſſime, Profeſſores celeberrimi, Auditores quotquot adeſtis Nobilitate, doctrina, & litteris ornatiſſimi) quæ cum Euganea hac de aeris ſalubritate certare poſſit; ita nulla eſt Univerſitas, nec unquam fuit, in qua de colenda medicina, & ad faſtigium extollenda graviore cura, majoribuſque impenſis cogitatum ſit. Illud unum deſiderari videbatur, ut quemadmodum gubernatores navium priuſquam alto ſe committant, aliquod in portu, & prope litus artis ſuæ atque induſtriæ periculum fa-

ciunt, ſic adoleſcentes exquiſita doctrina, omnibuſque præceptis ad medicinam faciendam a ſapientiſſimis his Profeſſoribus inſtructi; antequam in diſcrimen ſe darent, hoc tamquam in ludo, uſu aliquo atque exercitatione confirmarentur. En cur Triumviri Sapientiſſimi peculiarem ſcholam aperiendam cenſuerint, in qua qui medicinæ dant operam ad ægrotos cubantes accedere poſſent, varia morborum genera, aliquo præmonſtrante, de facie ipſa noſcere, naturam ad ſanitatem recuperandam contendentem intueri, atque ejus ſubobſcuram quidem, ſed certam vocem poſcentis opem intelligere, rationemque omnem ei opitulandi cognitam ab experimento & perſpectam habere.

Quo vero Superum conſilio factum fuiſſe dicam, ut me potiſſimum tantulum hominem Rei huic tam ſalutaria auſpicia præbere voluerint; primumque experiri, num revera præſtet ad veterem artis tam longæ tradendæ rationem novam hanc accedere? Quandoquidem igitur ſummis Viris viſum eſt hoc mihi onus imponere, ipſe autem eorum auctoritate con-

fir-

firmatus, & ſermone ac vocibus humaniſſimis recreatus, parendo ſuſcepi, ineptus plane ſim, ſi nunc demum quæram, ſint ne mihi vires ei ferendo pares, cum potius, ut non prorſus impares eſſe videantur, omni ſtudio & labore debeam contendere.

Immortale hoc Principis Sereniſſimi Beneficium tribus ante annis mihi oblatum nec ſtatim accipere auſus ſum, nec ſine timore aliquo nunc demum accepi, quod ſerio reputarem quantis cum periculis conjunctum eſſet, quantaſque moleſtias ſecum ferret, quibus Profeſſores Gymnaſii ceteri liberi eſſent. Totum hoc quid ſit, attendite quæſo.

Ex iis, qui in hujus Urbis Noſocomium inferuntur, decem vel duodecim mihi ægri quotidie mane inviſendi ſunt, omnibus, qui volunt, & quorum intererit, adoleſcentibus comitantibus, hiſque ea omnia, quæ in illis non ſecundum naturam ſe habent, aperienda, remediaque, quibus iidem uti debeant, præcipienda. Deinde quodnam morbi genus ſit, quantumque ad vitam vel ſpei, vel periculi

ſubeſſe ea indicent, quæ in ægris illis notaverimus, quas cauſas ex evidentibus exiſtimandum ſit ad eum morbum gignendum conveniſſe, & qua ratione genuerint; atque adeo quæ ſit proxima ipſius morbi cauſa, ideſt in quo morbus poſitus eſſe videatur; quomodo ex eo effecta omnia, quæ vocant Phænomena, oriri poſſint; quæ mutatio in ægri corpore fieri debeat, ut ex eo ſtatu decedat, ad melioremque ſeſe convertat, & quid poſſit auxilii ferri iis, quæ jam deſciverint, hæc, inquam, omnia a me continuata oratione perſequenda ſunt. Aliud eſt autem ſigna, quibus hic, vel ille morbus cognoſcatur, collecta, & certa ſerie diſpoſita ex ſuggeſtu enarrare, aliud ſigna illa ex cubantibus ipſis colligere, atque eorumdem vim reipſa intelligere, aliiſque aperire. Idem ne eſſe putatis ubi aliquis morbo urinæ vias infeſtante tenetur, nec cui parti inſideat, manifeſtum eſt, ſi medicus notas vobis vel diſertiſſime exponat, quibus notis morbi renum a veſicæ morbis diſcernuntur, idemne, inquam, eſſe putatis ac ſi ille iis ipſis indi-

diciis rem explorans cognoſcat, vobiſque probet utrius partis vitium illud, & quale id ſit? Ego tantum inter utrumque intereſſe puto, quantum inter eum qui quomodo hoſtium ingenium, copiæ, vireſque explorari, iidemque vinci poſſint, optime, ſed in caſtris, atque intra vallum multis verbis oſtendat; interque Ducem, qui in aciem prodeat, in medios ipſos hoſtes ſeſe conjiciat, præliique diſcrimina ſubeundo eos ſternat, atque profliget. Quis Medicus cum ad ægrum acceſſit, occaſionis ad agendum præcipitem curſum non reformidet? Quis difficultatem in judicando non timeat? Quem non terreat experimenti periculum? In anguſtias iſtas numquam compellitur is, qui ſi eum audiat de morbis eorumque curationibus ex cathedra loquentem, nullum credat eſſe morbum aut tam latentem, qui non deprehendi, aut tam confuſum, qui non diſcerni, aut tam inſidioſum, cujus pernicies denunciari non poſſit, aut denique tam difficilem, in quo locus medicinæ non ſit. Sed aliter, longe aliter exiſtimet neceſſe eſt, qui ſe

in

in opere multis, noviſque difficultatibus quotidie premi ſentit, moduſque illis ut aliquis, aut exitus reperiatur, quantus labor impendendus ſit, intelligit. Agedum quoniam iter, quod mihi ſuſcipiendum eſt, difficile atque impeditum eſſe conſtat, videamus nunc quem curſum tenere debeamus, quominus in eo conficiendo offendamus. Toti igitur in hoc erimus, cum ad ægros accedemus, ut notas colligamus, per quas cognoſcere poſſimus, in quo, & quantum a ſua quiſque ſanitate receſſerit. In quo illud percommode nobis accidit, quod adoleſcentes accipiendi ſunt in re anatomica, naturæque ratione, quam Phyſiologiam vocant, ita a Viro hujus facultatis principe eruditi, ut nullam a me videantur hac quidem in parte doctrinam requirere. Sine, Joannes Baptiſta Morgagni (& utinam præſens adeſſe potuiſſes) ſine, inquam, ut huic optimæ juventuti gratuler, mihique gaudeam, nos in ea diſciplina Te præceptorem habuiſſe; Te, inquam, quem ingenio, judicioque præſtanti in ea ipſa facultate maximum, in cæte-

te-

teris ſtudiis ſcientiæ cognitioniſque verſatiſſimum, in litteris excellentem prædicant graviſſimi, atque intelligentes Viri: invidi, ſi quos tibi tuæ laudes pararunt, fateantur neceſſe eſt. Quamdiu igitur tuam vocem vivam habebimus (Dii faxint, ut diu habere poſſimus) neque Veſalium, aut Columbum, aut Fallopium, aut Spigelium, aut Veslingium, aut alium quempiam ex anatomicis memoria dignis magnopere deſiderabimus, ſed Te in his rebus uno erimus auctore contenti: neque cum læſas humani corporis partes conſiderabimus, opus erit nos de integris quidquam dicere, niſi forte ſi quando adoleſcentes monendi erunt, ut ea in memoriam revocent, quæ a Te dicta ſint. Actiones autem corporis & vitales, & naturales, & animales, ut in ſingulis ægris ſeſe habebunt, diligenter, curioſeque attendemus; atque in his exponendis rationem, & fidem hiſtoricam ſequemur, nihil quod ſenſus repræſentarint omittentes, nihil adſumentes, quod a cogitatione conjecturiſque noſtris profectum fuerit. Tum omnia quæ a

ſa-

ſanitate defeciſſe apparebunt , Phænomena græci vocant , revocabimus ad doctrinam ſignorum , in quibus explicandis non dubitabimus auctoritate antiquorum Virorum uti , maximeque Hippocratis , cum recentiores quoque medici , quamvis quædam in curationibus mutarint, tamen hæc illum optima præſagiſſe fateantur. Hanc illi ſummam veramque laudem nos quoque cum Celſo iiſdem ejus verbis tribuimus. Quæ itaque Hippocrates ſuis Prædictorum , Prænotionumque libris complexus eſt , ea pro re nata ad propoſitum noſtrum convertemus , Celſo ipſo , qui iiſdem in ſuo opere uſus eſt , Galenoque primum in auxilium adhibitis , tum Dureto , Hollerio , Foeſio , aliiſque enarratoribus , eo conſilio , ut ejus ſententiam melius aſſequi , eamque cum obſervationibus noſtris conferre poſſimus. Aretæi quoque & Aetii , & Alexandri Traliani , & Pauli Æginetæ , & aliorum ; eorumque præſertim qui Veterum ſagacitatem & diligentiam imitati ſunt , ut Balonii , Lomii , Sydenhamii , horum , inquam, omnium doctrinam cum Hippocratis & Celſi do-

doctrina conjungemus. Nihil denique prætermittemus, quod ſigna, & communia multorum, & propria cujuſque morbi nobis poſſit clare aperteque demonſtrare. Nam hoc primum atque antiquiſſimum habebimus, quis morbus ſit quo quiſque tenebitur, cognoſcere, & quid ſignum quodque denunciet ſive de præſentibus, ſive de futuris morbi mutationibus, atque ideo quantum quodque valeat ad ſpem vitæ, vel ad mortis periculum ſignificandum: memores cæteroquin, ut idem Celſus monet, (*a*) *conjecturalem artem eſſe medicinam, rationemque conjecturæ talem eſſe, ut cum ſæpius aliquando reſponderit, interdum tamen fallat...... in acutis morbis fallaces magis notas eſſe & ſalutis, & mortis.*

Quamquam igitur in doctrina ſignorum nonnihil ſubſit incerti, tamen non verebor cum Viro clariſſimo Antonio Cochio affirmare, hanc ipſam doctrinam magnam, & præcipuam Medicinæ partem implere, eaque Medicum ſummos honores adipiſci. Hac in ſen-

(a) *Lib. II. Cap. VI. ſub finem.*

tentia ipſum fuiſſe Hippocratem, etſi vobis notum eſſe ſcio, ejus tamen verba, ut Foeſius interpretatur, huc attinentia recitabo: (*a*) *Curandi rationem optime molietur, ſi ex præſentibus affectionibus futura prænoverit... hac enim ratione merito ſibi admirationem, & boni Medici existimationem conciliaverit. Qui namque morbo ſuperiores eſſe poſſunt, eos utique longe rectius conſervaverit, ex longo antea intervallo ad ſingula conſilium dirigens, tum etiam morituros, tum evaſuros ubi prænoverit, & prædixerit, extra culpam poſitus erit.*

Poſt hæc ſequi videtur, ut nobis quærendum ſit, quæ cauſæ ex evidentibus morbum attulerint, quas cauſas in uſu rerum, non naturalium poſitas eſſe concipimus. Ad explicandam autem earum in noſtra corpora vim, id tantummodo afferemus, quod multiplex experimentum ab omni doctrina phyſica petitum, approbaverit. Atque ex diligenti harumce cauſarum inveſtigatione, & ex cognitis certioribus earum effectibus, illud nos poſſe conſequi exiſtima-

(a) *In Lib. Prænot. pag.* 36.

mamus, ut ſignorum doctrinam magis magiſque confirmemus, atque ad obſcurarum quoque cauſarum explorationem, ideoque ad proximam morborum cauſam, ideſt ad ipſam morborum naturam intelligendam, aditum nobis aliquem aperiamus. Quæ quidem morborum natura ſi ita facilis eſſet ad intelligendum, quemadmodum nonnulli videntur ſibi perſuaſiſſe, poſſem longe plura optimis his adoleſcentibus polliceri, quam nunc profecto audeam. Verum enimvero qui in arte quotidie verſantur, atque ex certa rerum obſervatione ratiocinari didicerunt, nimis ſæpe ſentiunt, abditiſſimarum cauſarum inveſtigationem in morbis fere inanem eſſe, earumque cognitionem pene nullam; nihilque per ejuſmodi inveſtigationem in curationibus profici. Quam multa ſcripta ſint de cauſa earum febrium, quæ circuitum habent, vobis notum eſſe ſcio; eam cauſam a nullo hactenus comprehenſam eſſe patet ex eorum, qui de illa diſputarunt, diſcordia, cum de iſta re neque inter ſapientiæ Profeſſores, neque inter Medicos adhuc conveniat. Nolite, quæſo, ex-

pectare me de latentibus iſtis & incomprehenſibilibus cauſis conjecturas & opiniones quantumvis probabiles, allaturum eſſe, neque eaſdem pro certis notitiis traducturum, neque ex iis morborum æthiologias confecturum. Rerum naturam eatenus contemplabimur, quatenus ipſa patietur. Itaque quidquid certi, vel potius ſi quid minus incerti hac in parte ſive aliorum, ſive mea induſtria comparatum habebo, quod ſane per quam exiguum eſſe novi, id tamen, prout occaſio tulerit, exponam: quæ vero ſcientia adhuc comprehendi non potuerunt, in iis candide, ut par eſt, egregii adoleſcentes, agam vobiſcum, & inſcitiam meam fateri numquam pudebit. Abditiſſimarum potius iſtiuſmodi cauſarum effectus, quibus morbi ipſi continentur, ideſt ſecundarias, ſed revera proximiores morborum cauſas, quantum poterimus, perſequemur, quæ cauſæ ipſæ quoque obſcuræ ſunt, niſi ad eas aperiendas opem ferat anatome. De evidentibus, ſed internis cauſis loqui me, Auditores, intelligitis, quæ mortuorum demum corpora incidendo

com-

comperiuntur. Nos ut has cauſas, utque ſedes, naturamque morborum experimentis innixi cognoſcamus, omnem operam dabimus; in quo cum parum antea poſſemus, nunc ut plus poſſimus, ſingulari ſapientia, & labore pene incredibili ſummi & incomparabilis Anatomici noſtri factum eſt. Vera loquor: cupiebam honorificentiſſimum hoc medicinam *practicam* docendi munus mihi mandari; at ſimul, ne ei par eſſe poſſem, vehementer timebam; quodque me ſummopere terrebat, illud erat: quos morbi vis, curatione, quam iis adhibuiſſem, nihil proficiente, ſuſtuliſſet, in eorum corporibus debere me veras morborum ſedes, cauſaſque, ſiquidem in ſenſus incurrerent omnibus, qui adeſſent, oſtendere. Non quod veritatem reperire non optaverim ſemper vel maxime, ſed intelligebam quam ſæpe, qui me præſagientem audiſſent, mei judicii periculum facturi eſſent; videbamque fore, ut mihi neceſſe eſſet, neque raro fortaſſe proprium errorem fateri. Quod etſi facere ingenuos ubique decet, & ego detrectavi num-

quam,

quam, aut detrectabo, eſt tamen permoleſtum in eo quotidie timore eſſe, ne idem plus ſemel faciendum ſit. Ergo me iſta cogitatione debilitatum ita recreavit Morgagnus eximio ſuo opere, quod ſcripſit de ſedibus & cauſis morborum per anatomen indagatis, ut non ſolum paratior quam antea mihi viſus ſim ad meam provinciam accedere, ſed etiam in eam ſpem venerim, poſſe me eamdem aliquantum ornare. Summam autem hujus inſtituti utilitatem non opus eſt ut vobis prædicem, quandoquidem eam quoque Morgagnus ipſe oſtendit totidem ad quinque ſui operis libros Præfationibus. Quare inter præcipua beneficia, quæ Ampliſſimi, Sapientiſſimique hujus Gymnaſii Moderatores hac nova *Practicæ* Medicinæ Cathedra ejus artis ſtudioſis attulerunt, hoc certe magnum, atque haud ſcio an maximum ſit.

Dixi quo fere modo velim me gerere in iis, quæ ad Semioticem, & Pathologiam pertinent, perſequendis, explicandiſque: nunc quædam tantum capita de omnibus, quæ Therapeutica comprehendit, attingam, rationemque meam,

meam proponam. Nam ut in morborum natura explicanda, & in latentibus eorum cauſis inveſtigandis, ſic & in indicationibus, quas vocant, pro curatione ponendis, opiniones cauſarum morbificarum, conjecturaſque minime ſequar. In curationibus autem negotium Naturæ permittam, ſi noſtro auxilio illa non egebit, omnemque curam adhibebo, ne ejus in vincendo morbo conatus, ullo modo perturbem. Medicamenta in uſum traham tantum, quantum illa poſſit opem iis ſibi afferre, opemque eam, eaque via conabor, qua ipſa poſtulabit. Et ſimpliciſſima quidem medendi ratione, medicamentiſque utar quam pauciſſimis: nullum tamen remedii genus aut diæteticum, aut chyrurgicum, aut pharmaceuticum rejiciam, cujus quidem utilitatem multiplex experimentum evicerit. Itaque a Chemia quoque quædam valentiora medicamenta interdum erit ut petam; verum Boerhavii, Hoffmanni, Neumanni, Chartheuſerii præcepta, tum monita memoria utique tenebo, quæ Bartholomæus Lavagnolus Medicinæ Profeſſor celeberrimus, nobis

bis fato ereptus, poſuit in eo libro, quem de pravo & recto uſu Chemiæ inſcripſit. Contra, alia quædam etiam multorum ſcriptis, non modo Vulgi rumoribus, nobilia medicamenta a me parvi fieri videbitis, quippe quia, periculo ſæpe facto, ea non reſpondere deprehendi. Et cum ejuſmodi pericula ſæpius & curioſius ſim poſthac facturus, ſi aliquod eorum, in quibus certas facultates ineſſe credo, minus reſpondere cognoſcam, non dubitabo huic quoque eamdem, quam illis, notam apponere. Atque ut id ipſum detegere, & quaſdam aliorum medicamentorum facultates, quas minus cognoverim, reperire poſſim, iis potiſſimum ſimplicibus utar; atque ab eorum mixturis, quod magnus ille veritatis Patronus Franciſcus Redius fieri optabat, quam maxime potero, abſtinebo.

Nunc ſi operam, induſtriamque meam vultis cognoſcere, intelligitis, Auditores, eam in obſervationibus, atque experimentis eſſe poſitam, meque iiſdem fere Medicinam eſſe demonſtraturum. Quandoquidem exiſtimo nonniſi hac via

poſ-

poſſe Medicum effici vere rationalem & Clinicum. Neque tamen a me Empiricum inſtitui velle arbitremini. Veri enim cognitionem appetere debet omnis ratiocinatio, ad verum autem cognoſcendum eam deducere ſolæ poſſunt obſervationes, & experimenta.

Quare, egregii adoleſcentes, quo ſtudio & alacritate ceteris diſciplinis, eodem huic operam date; quodque ingenii veſtri, atque optimæ erga omnes bonas artes voluntatis teſtimonium huic Gymnaſio jam exhibuiſtis, idem Noſocomio exhibere pergite: ita enim futurum eſſe confido, ut in ſua quiſque civitate, patriæ, parentibus, amicis, bonis omnibus, cari atque accepti arte ſalutis humanæ præſide excellatis. Ego hoc vobis de me ſpondere poſſum, eo erga vos animo ſemper futurum, quo non ſolum officium meum, ſed & ſpes, quam de vobis magnam habeo, me eſſe vult, omnique labore contenturum, ut poſſim cæteris etiam rebus vobis, quemadmodum cupio, ſatisfacere. Atque ut omnia ex animi mei ſententia caſura ſperem, illud facit, quod optimis au-

ſpiciis Senatoris, ac Proviſoris Ampliſſimi PETRI VENDRAMENI ea incipere datum eſt. Quo enim Præſide Gymnaſium hoc, Civitas, & partes hujus Provinciæ omnes quiete, ac felicitate tanta fruuntur, cur non mihi quoque bene omnia, feliciterque eventura ſperem? Illud quoque in magna mea felicitate pono, Pro-Syndice præſtantiſſime, Profeſſores cæteri Sapientiſſimi, Clariſſimo ordini veſtro me adſcriptum eſſe. Quid enim aut ad laudis æternitatem præclarius, aut ad animi voluptatem jucundius eſſe poteſt, quam ſodalitate cum iis conjungi, quorum alios veneratione ut Magiſtros, alios amore ut ſtudiorum ſocios, omnes honore atque obſervantia ut eximios Viros ſemper ſim proſecutus? Profecto nihil mihi aliud ad hodiernam lætitiam accedere poſſe videtur, quam ſi voluntatem hanc meam, & in vos ſtudium, quod conſtantiſſimum fore promitto, gratum vobis atque acceptum eſſe cognovero.

Vos poſtremo loco appello, nobiliſſimi Patavini Cives, qui Noſocomium veſtrum tot impenſis, tantaque prudentia regitis, Vos inquam

quam rogo atque obſecro, ut me nihilo plus quam Medicum, ideſt hominem eſſe cogitetis; &, ſi qua in parte deficere videbor, opera mihi veſtra & conſilio adeſſe velitis.

DISPUTATIO PRIMA
HABITA
IN NOSOCOMIO
Exeunte Aprile MDCCLXV.

Difficile mihi ſemper viſum fuit de rebus a communi ſermone remotis dicere; difficilius clare, & preſſe ex tempore dicere; difficillimum denique, ſiquis ita accedat ad dicendum, ut multa aliter atque ipſe putaverat, cecidiſſe inveniat. Quæ ſi cui vel propter ingenii ſui magnitudinem, vel propter muneris gravitatem exigua videntur, mihi certe omnibus de cauſis maxima videri debent. Quapropter vos rogo, atque obſecro, Auditores humaniſſimi, ut mihi ignoſcere velitis, ſi forte aures veſtras ſermone minus eleganti interdum offendero; cum in eo inprimis totis viribus mihi laborandum ſit ad hujus ſtudioſæ juventutis intel-

telligentiam & utilitatem, ut non tam eleganter, quam clare diſtinćteque dicam. Et quoniam ad pleroſque morbos, & potiſſimum ad febres dignoſcendas pulſus plurimum conferunt, quædam præmittere juvabit de ratione eos explorandi, deque eorum differentiis. Igitur, ubi quis ad pulſus Ægrotantis cognoſcendos accedit, illud ante omnia attendere debet, ut brachium illius neque valde flexum, neque rurſus vi quadam extenſum ſit. Deinde ejuſdem carpo, quo loco arteria micat, trium digitorum indicis, medii, atque annularis ſummam partem admovere debet; iiſque modo leviter, modo gravius arteriam comprimere. Pollice ideo pulſus numquam explorandi ſunt, quia in eo digito inſignis arteria eſt, cujus pulſus cum pulſibus Ægri confuſi eorum explorationem impediunt. In aliis porro caſibus magis, in aliis minus arteria digitis comprimenda eſt; ſemper autem cavendum, ne, ſi nimium compreſſimus imbecilles pulſus, pænitus cohibeamus; ſi parum, non omnem eorum vim magnitudinemque percipiamus. Illud quoque ad rem pertinet, ma-

num

num contingentis calidam eſſe, quia ſi frigida eſt, & ipſa minus exquiſite ſentit, & partes quæ ab ea contactæ ſunt, ideoque arteria ipſa aliquo modo contrahitur. Admoti autem carpo digiti diu ibi tenendi ſunt, pluresque pulſus excipiendi, quia interdum nonniſi quinquageſimus, aut alius quiſque vitium ſuum prodit. Neque ſatis eſt, ſemel eos exploraſſe niſi ſi levis, & manifeſtus eſt morbus: ubi gravior caſus, & obſcurior eſt, ſæpius explorare opus eſt. Pulſuum autem multiplex ratio eſt pro corporis, ſexus, ætatis, morborum varietate. Neque tamen omnes illas differentias afferam quæ nimis ſubtiliter a Galeno proponuntur, parum vero ad rem faciunt. Præcipuas tantum, & Artem exercentibus neceſſarias explicabo. Alii igitur pulſus fortes, alii debiles ſunt. Fortes dicuntur qui Medici digitos feriunt cum vi & robore, iique ſignificant vim vitæ valere, ideoque boni ſanguinis debitam quantitatem, ſpirituum liberam, & copioſam ſecretionem. At in debilibus omnino his contraria ſunt. Deinde alii pulſus magni, alii parvi ſunt. Magnos vocant, cum ar-

arteria ab impetu propulſi ſanguinis multum diſtenditur, & quo magis arteriæ latera ab ejus axe removentur, eo majores pulſus ſentiuntur. Denotant molem humoris diſtendentis, expeditam ejus circulationem, & prævalentem vim cauſæ eum humorem impellentis, ideſt cordis. At parvi, quatenus tales ſunt, his contraria ſignificant. Nam rurſus alii parvi, & debiles ſunt, qui quinam ſint ex iis, quæ hactenus dixi, intelligi poteſt; alii vero parvi & contracti, ſive, ut a quibuſdam vocantur, ſerrati.

Hæc differentia magnopere attendenda eſt; ſiquidem parvi & debiles vim vitæ deficere teſtantur: parvi & contracti eam nonnihil languere demonſtrant; ſed ſimul cauſam adeſſe, quæ arteriam ita irritat, ut contracta remaneat. Sæpe autem in Hyſtericis & Hypochondriacis morbis hujuſmodi pulſus deprehenduntur, ſæpe etiam in quibuſdam malignis morbis fallunt minus peritos, qui debiles eos eſſe exiſtimant, cum revera contracti ſint. Diſcernuntur autem ab illis quia in parva arteriæ diſtenſione quædam in ejus fibris tenſio percipitur. Porro tenſio

ſio hæc aliam pulſuum differentiam conſtituit, eorum videlicet duritiem. Duri pulſus vocantur, qui ab arteria fiunt tenſa veluti muſicalis chorda. Famoſos eos vocat Boerhavius. Fere autem inflammationem ſequuntur, & declarant vaſorum obſtructionem, & impedimentum circulationis, & ſecretionum. Inveniuntur etiam ejuſmodi pulſus in aneuriſmatibus cordis, & magnorum vaſorum in arteriis quæ fiunt oſſeæ in ſenibus, aliiſque. Duris opponuntur molles pulſus, qui molliter digitos feriunt, ſed cum conſtanti tamen vitæ vi. Nam ſi deficiat vis hæc, non molles, ſed parvi, debiles, languidique pulſus fiunt. Molles expeditam circulationem, liberas ſecretiones eſſe oſtendunt, nullum irritamentum, nullum ſpaſmum fieri. Si non molliter tantum, ſed etiam tamquam undæ quædam feruntur, criticum ſudorem proxime futurum promittunt. Alia maxime conſideranda pulſuum varietas in eorum raritate, & frequentia poſita eſt.

Raritas eſt, ubi intra datum tempus minor frequentia, ubi intra datum tempus major eo-

rum numerus eſt, quam eſſe naturaliter debet. Ubi autem ſinguli pulſus lentius procedunt, lentos ſive tardos; ubi celerius, celeres, ſive veloces nominare conſueverunt. Pulſuum frequentia maximum eſt, ſi non unicum febris indicium. Cauſa quælibet irritans, aut impediens cor, quominus ſe in ſingulis contractionibus depleat, tales pulſus producit.

Sequitur, ut de inæqualibus pulſibus dicam. Alia autem inæqualitas eſt in tempore, quod inter ſingulos pulſus intercedit, alia in ipſorum pulſuum robore, alia in eorum magnitudine; aliaque eſſe poſſunt inæqualitatis genera. Peſſimi autem ſunt, quos Boerhavius vocat inæquales omnium inæqualitatum genere. Sciendum vero in univerſum, pulſus inæquales dici cum non omnes ſibi omnino reſpondent. Æquales vero cum omnes inter ſe prorſus conveniunt: multis autem de cauſis fit eorum inæqualitas, quas omnes nunc recenſere non vacat. In genere pulſus inæquales ſignificant impeditam aliquo modo humorum circulationem, & labantem vitæ vim: quare periculum fere minantur, niſi ſi

cui

cui alioquin ſatis ſano, naturales ſunt, aut niſi in morbo fiunt tum, cum criſim Natura molitur. Neque ullum periculum ſubeſt incipiente febris intermittentis acceſſione, cum inter frigus aut horrorem maxime tales fiunt. In Hyſtericis quoque, Hypochondriaciſque hominibus ejuſcemodi pulſus, ut plurimum, nullum malum indicium præbent.

Denique interdum pulſus intermittentes ſentiuntur; ideſt cum tertius, vel quartus, vel quintus, vel ſextus, vel ſeptimus quiſque pulſus plane deeſt, interdum nonniſi decimus quiſque, aut decimus quintus, aut vigeſimus intermittit. Alias vero unus tantum pulſus, alias duo continenter pulſus ſeſe ſubducunt. In juvenibus periculoſi cenſentur, nam ſenibus quibuſdam naturales ſunt, & quamquam non fiant niſi ex aliquo vitio, fere tamen ſine periculo ſunt. In ſpaſmodicis quibuſdam affectionibus, quales Hyſtericarum, Hypochondriacarumque ſunt, hujuſmodi pulſus ſæpe deprehenduntur, neque tamen mali eſſe conſueverunt. Deterrimi ſunt in pulmonum inflammationibus, in qui-

bus ſanguinis tranſitum a dextero in ſiniſtrum cordis ventriculum impediri denunciant. Interdum in acutis morbis ſignum ſunt inſtantis criſis per alvum, quod a Niele obſervatum, ego quoque aliquando cum veritate conſentire inveni. Itaque prudentem cautumque Medicum eſſe oportet maxime in præſagiendo ex pulſibus intermittentibus. Dicroti quoque pulſus, qui non raro deprehenduntur, Medicis quibuſdam, & nuper eodem Niele auctore, indicium ſunt ſanguinis per nares erupturi, præſertim ſi non alia deſint indicia. Ideo tales dicuntur quatenus unica pulſatione fere bis digitos feriunt.

Aliæ quidem ſunt pulſus differentiæ, quas memorare non placet, ne tironum mentes inutiliter obruantur, quoniam illæ omnes ad jam allatas proxime accedunt, quas prout occaſio tulerit indicabo.

Optimi autem pulſus ſunt fortes, magni, æquales, non frequentes. Peſſimi, debiles, parvi, frequentes, inæquales, intermittentes: & quo propiores his, vel illis ſunt, eo pejores, vel meliores habendi ſunt. Sed inprimis illud te-

nen-

nendum eſt, nullos aut fortes, aut magnos, aut duros, aut alius proprietatis pulſus abſolute tales eſſe, ſed ſemper æſtimandos eſſe pro corporis natura. Nam qui in alio corpore magni eſſent, aut fortes, aut duri: in alio parvi, debiles, molles ſunt. Noſcenda igitur Ægrotantis natura eſt, & in hac maxime re illud Celſi locum habet, utiliorem Medicum eſſe amicum, quam extraneum. Nam cum multum interſit noſcere varia pulſuum genera, & quid genus quodlibet ſignificet, difficilis profecto hæc cognitio eſt cum aliis de cauſis, tum etiam quia multæ res incidunt, quæ ſubito eos ita mutant, ut alii eſſe videantur, quam ſunt revera. Ideo auctor maxime idoneus, quem modo laudavi, Cornelius Celſus venas, ideſt arterias, fallaciſſimam rem dixit, quod ſæpe lentiores, celerioreſve ſunt, pro ætate, ſexu, & corporum natura; eaſque concitat, & reſolvit ſol, balneum, exercitatio, ira, metus, & quilibet alius animi affectus: Quæ omnia prudens, & circumſpectus Medicus attendere debet, ne quando turpiter decipiatur in judicio ex pulſibus ferendo

do

do de morbi natura, de ſalute, aut morte.

Cæterum quantum anatome ad actiones ſani corporis intelligendas conferre ſolet, tantum propemodum confert ad læſas eaſdem actiones, ideſt morbos cognoſcendos, pulſuum contemplatio, in qua veteres Medici diligentiſſime verſati ſunt. Sane Hippocrates varia in variis morbis pulſuum genera minime videtur conſideraſſe, neque iis tamquam ſigno in diagnoſi uſus eſſe: attamen quædam loca ſunt etiam in genuinis ejus libris, ex quibus colligi poteſt, eum & pulſus interdum exploraſſe, & hoc quoque ſignum in præſagiendo adhibuiſſe. Illud optandum eſſet, quod ſine ullius offenſione dictum volo, ut qua diligentia in urina, alvo, ſudore, reſpiratione, linguæ habitu, aliiſque rebus obſervationes ſuas divinus ille Senex perfecit, eadem in pulſibus quoque perficere voluiſſet: nihil profecto reliquum fuiſſet, in quo poſteriores Medici laborarent ad ſignorum doctrinam amplianđam. Sed ſi ad pulſus non ſatis examinis Hippocrates contulit, alii tamen contulerunt & venerandi veteris Medicinæ patres, & clari ex recen-

centioribus medendi Magiſtri, qui hac præcipua pulſuum cognitione veram ſummamque laudem conſecuti ſunt. Propter præſagia ex pulſibus facta ut Galenus ſuis temporibus prope divinus habitus fuerit, ex ipſius ſcriptis intelligi poteſt. Quare, egregii Adoleſcentes, ſi ad vere Medicinæ laudem contenditis, moneo pulſuum ſcientiam inprimis vobis excolendam eſſe, quam vobis explanare ego pro meis viribus annitar. At quoniam pulſuum cognitionem aſſequi non poteſtis, niſi ſimul hiſtorias morborum optime calleatis, eas in medium afferre placet.

Incipimus autem ab Ægro Primo, qui curæ, ſtudioque noſtro commiſſus eſt. Juvenis hic eſt annorum triginta, ſicco corporis habitu, & bilioſa conſtitutione præditus. Primum febris cum rigore eum tenuit, paulo poſt toto incaluit corpore, mox lateris dexteri perfodiens dolor a mamma ad jugulum ſeſe extendens, ſubortus eſt; addita pulſus duritie, tuſſi inani, difficili reſpiratione, difficilique in latus oppoſitum decubitu. Quæ ſymptomata ſimul ſum-

ſumpta morbum pleuræ, pulmoniſque inflammatorium, ut Medici loquuntur, apertiſſime demonſtrarunt. Et revera Medicus accerſitus ſanguinem mitti juſſit, aliaque in eumdem finem remedia adhibuit. At nec Medicus potuit, nec Morbum ſuperare Natura valuit, nam decimo ſexto die morbi, iiſdem ſymptomatibus, imo ſævioribus concuſſus æger, additis rigoribus vagis, in Noſocomium delatus fuit. Quæ omnia ſtatim ego, præſentibus vobis ad trutinam revocans, morbum pleuro-peripneumoniam eſſe, eamque ad ſuppurationem tendere, ex Hippocratis doctrina vos admonui. In Coacis enim prænotionibus divinus ille Senex docet: *quicumque peripneumonia non repurgati ſunt per ſputa principibus diebus, ſed mente moti quatuordicim dies effugerint, ſuppuratos fieri*. Subjungit deinde *horrore affecti ad ſuppurationem deveniunt.... Sed & febris tales ad ſuppurationem perducit*. Nec me conjectura fefellit. Elapſis enim quatuor diebus, febris quæ prius acuta, & Omotona erat, pauliſper remiſit, quamvis noctu ſine rigoribus recrudeſceret; ſymptomata vero omnia prædicta ſæ-

ſævierunt cum ponderis ſenſu in pectore, quæ, ſuppurationem jam factam eſſe declararunt, idque vobis, ut ſumma attentione animadverteretis, indicavi. Solliciti quidem fuiſtis de morbi hujus eventu, veſtræque curioſitati cum Hippocrate quamlibentiſſime ſatisfeci, qui loco allato, pulmonum abſceſſus vigeſimo die, aut trigeſimo, aut quadrageſimo, aut ſexageſimo conſtantiſſima obſervatione diſrumpi, affirmat. At divinus hic Magiſter ibidem ſigna etiam proximæ abſceſſus diſruptionis memorat: *Ex pulmonis ſuppuratione & circa ventrem interdum, & claviculam dolores, & cum anxietate ſtertere deſignat puris copiam in pulmone*. Quæ omnia cum in Ægro noſtro decimo nono die a ſuppuratione facta obſervaverimus, vobis ſequenti die abſceſſum diruptum fore prædixi. Audax quidem hoc meum fuiſſet præſagium, niſi quanti momenti ſit Hippocratis auctoritas omnibus innoteſceret. Res voto omnino reſpondit, idque vos multa cum admiratione vidiſtis, animoſque veſtros mea ſumma cum lætitia in Hippocraticum ſtudium incendiſtis.

Primo igitur die libra una puris erupit ; ſecundo tres , tertio duæ : in quibus per anacatharſim ejiciendis , cum ferina tuſſis ſæviret , ea , quæ Galenus lib V. meth. med. cap. XI. his verbis docet , Ægro noſtro contigerunt : *neque enim citra tuſſim expurgari poſſunt , illiſque tuſſientibus laceratur locus. Itaque quaſi per mutuas operas in orbem redit : quæ namque lacerata ſunt , rurſus phlegmonem excitant : ſecundo iterum oportet maturari phlegmonem , & pus expurgari .* Ita & Ægrotanti noſtro evenit : quarto die febris cum rigore ſuborta eſt , omniaque ſymptomata doloris , ponderis in pectore , difficilis reſpirationis , difficiliſque decubitus in latus oppoſitum , quæ a die dirupti abſceſſus jam evanuerant , rurſus recruduerunt , factoque parvo novo abſceſſu , diruptoque ſexto die priſtinæ recreationi redditus eſt . En quantum interſit , Juvenes lectiſſimi , Hippocratem , & Galenum habere in praxi magiſtros ? Eorum quoque Interpretes magni faciendi ſunt ; nam Duretus Coacam prænotionem illuſtrans , in qua ſuppurationes quadraginta dierum ſpatio , a die quo rumpitur vomica , re-

pur-

purgari docetur, duplex abſceſſus genus recognoſcit; quorum primum ad reſtrictionem ſemper, alterum ad dilatationem vergit. Veritas prænotionis apparet in primo, non vero in ſecundo, quod jam ægrum ad necem perducit. Ergo nos decipit Hippocrates? Minime vero: cum in alia prænotione abſceſſus corruptivi ſigna, funeſtoſque eventus quoque explicet. Hic qui noſtrum Ægrum aggreſſus eſt, abſceſſus primi generis videtur eſſe: nam febris remiſſa eſt, tenuis ſemper, nec ullis horis recrudeſcens: alba facta ſunt ſputa, levia, & æqualia: reſpiratio facilis, faciliſque in utrumque latus decubitus, quæ omnia, niſi nova contingant, proximum quadrageſimum diem ab abſceſſus apertura concludunt. Reliquum eſt, ut cauſas, quæ hunc morbum attulerunt, inquiramus. In quolibet morbo duo cauſarum genera perpendenda occurrunt, quæ prædiſponentes ſeu internæ, & procatarcticæ ſeu externæ a medicis dicuntur. Primæ in varia corporum conſtitutione; ſecundæ in uſu rerum non naturalium indagari ſolent. In noſtro igitur Ægroto internæ a bilio-

ſa corporis conſtitutione deſumuntur, quæ ſolidorum rigiditatem, & fluidorum moleculas inter ſe cohærentes nimis, & compactas contemplari ſuadet. Quoniam vero in ſanguinis denſitate acrimonia ſemper deliteſcit, ex his tribus cauſis vel ſolidorum tubos ſupra fluidorum moles coarctantibus, vel fluidorum moles eoſdem tubos excedentes cogentibus, inflammationis ratio facile intelligitur, ſive illa in arteriis rubris cylindricis factis; ſive in ſeroſis, ſive in lymphaticis errore loci emergat. Inter cauſas autem procatharticas ſive occaſionales in Ægro noſtro calor auctus a corporis nimia exercitatione, & frigus ſubrepens recenſendæ ſunt. Quid calor in corpora agat, jam audiſtis a ſapientiſſimo Phyſicæ diſciplinæ Profeſſore, qui vobis præclariſſima obtulit experimenta. Ubi calor eſt, ibi ignis adeſt, imo adeſt ubique, ut Boerhavius docet in ratione ſpatii. Ignis videtur eſſe ſubſtantia ex tenuiſſimis particulis, acribus, ſcindentibus, & violento motu præditis compoſita. Corpori cuilibet ſuus ignis ineſt, qui in certo gradu & copia conſtitutus corporis ejuſdem tem-

pe-

periem conſervat. At ſi vel deficit, vel redundat, congruentia partium, & proportionata mixtio tollitur, homoque a ſanitate recedit. Ignis adauctus, quod ab adaucto attritu in homine inter ſolida & fluida fit, in certo gradu ſolida laxat, & fluida rarefacit. Diſcindit enim acribus ſuis aculeis partium nexus, ſuoque motu magis disjicit, multiplicatiſque earum ſuperficiebus, corporum volumina increſcunt. Hoc interim tempore quædam ignis motu & acritate fluidiora facta avolant a corpore, craſſiora remanent, quæ non amplius a fluidioribus diluta invicem ſeſe attrahunt, & in moleculas non ſatis faciles ad fluendum per canales evadunt. Quod ſi calori frigus repentinum ſuccedat, quanto magis id fiet? Nonne frigus contrario modo atque ignis agit? Has omnes noſter Ægrotans ſubiit cauſas, quæ memoratum morbum inferre valuerunt.

Sequitur, ut aliqua de remediis verba faciamus, quæ varia pro vario morbi ſtatu fuerunt. Tempore, quo ſuppuratio imminebat, oleoſa, & laxantia adhibita ſunt; facta ſuppuratione,

am-

ammoniacalia, & aperientia; aperto abſceſſu, inciſiva, ſaponacea, mellita, ſubacida, ipſaque opiata, & prope finem balſamica blanda, quoniam volatiliora a Swietenio (*a*) damnantur, nobis convenire viſa ſunt. Denique lac totum opus abſolvit, & præcipue cum aqua calcis propinatum, quæ juxta celeberrimum Virum Morgagnum (*b*) lac ipſum a coagulatione præſervat, ſolidorumque robur inſtaurat. Effectus horum remediorum jam vidiſtis, nam omnia ita vim ſuam exercuerunt, ut Æger hoc mane liber a febri, a tuſſi, a difficili reſpiratione, cum mediocri deperditæ nutritionis reparatione de Noſocomio deceſſerit.

Nunc aliorum ægrotantium morbi exponendi eſſent, ſed nolo tantorum Virorum patientia abuti. Accidit autem mihi præter ſpem, ut coram Viris diſputaverim pro ſuo ingenio, & doctrina judicandi peritiſſimis, qui ſi reputabunt pro ſua erga me bonitate, quo loco dicam, qua de re dicam, & quibus dicere jubear, æ-

quo

(a) *T. VII. Comment.* §. 1109.

(b) *Comment. ſcient. Bonon. pag.* 145.

quo animo ferent, me nihil eorum auribus dignum tota hac diſputatione attuliſſe, nec ſane afferre potuiſſe. Illos ego valde oro atque obſecro, ut ſi quid ad iſtorum Ægrotantium ſalutem, totiuſque loci utilitatem & famam monendum putent, libere moneant; ſibique perſuadeant, me quidem, quamvis pro meo munere doceam, non tam docendi, quam diſcendi cupidum eſſe.

ÆGROTUS II.

VIr quadragenarius habitu corporis ſanguineo, vino deditus, dolore capitis gravante ſæpe torquebatur. Repente balbutire cæpit, & in terram cadit. Corpus parte ſiniſtra torpore affectum movendi ſe facultatem amiſit. In Noſocomium illatus eſt. Vena ei ſecta eſt primum in brachio, deinde in pede: ſanguis autem eductus, craſſus apparuit. Caſſia quoque cum diagridio data: inde alvus ſubducta. Melius habere cæpit, loquebatur promptius, & membrorum torpor ex parte ſublatus. Quarta die recru-

cruduerunt ſymptomata, jugularis vena inciſa fuit, & ſequenti die hirudines hæmorrhoidibus admotæ. Nonnihil levari viſus eſt. Decoctiones nitroſæ propinabantur, & alvus pro neceſſitate ſubducebatur; tum loqui omnino non potuit, & membra ſiniſtra parte, perfecta paralyſis occupavit. Sanguis denuo detractus eſt, ſed ſine profectu. Pulſus bene ſe habebant, tum magnitudine, tum robore, neque ulla febris indicia. Veſicatoria cruribus applicata ſunt. Poſtridie magis torpere inventus eſt cum pulſu parvo, raro, & debili. Fortem & irreparabilem apoplexiam inſtare prædixi, quæ proxima nocte ſupervenit, Ægrumque ſuſtulit.

SCHOLIUM.

APoplexiam primum debilem hanc fuiſſe, ſenſuum omnium imminutio, & facilis reſtitutio demonſtrat. Sanguineam itidem fuiſſe ex Ægri temperatura, & cauſa quæ ante præceſſerat, ideſt vini redundantia, intelligi potuit. Ex hac nempe cauſa ſanguis minus ad circu-

lum

lum aptus præcipue in vaſis cerebri factus eſt. A preſſione igitur in corticalem cerebri ſubſtantiam, ſpirituumque interceptione Apoplexia orta eſt. Sanguis miſſus fuit ad hanc preſſionem tollendam, & revera pars paralytica reſtituta eſt. Sed a prima preſſione facta remanſit in cerebro major laxitas, & denuo ſubortæ congeſtiones. Repetita ſanguinis miſſio eas imminuit, ſed majori adhuc laxitate relicta. Hinc nova, & fortior humorum ſtaſis, quæ ſanguinis miſſione amplius reſtitui non potuit. Unde, ſecundum Celſum, male præſagire licuit; (*a*) cum doceat: *Si omnia membra vehementer reſoluta ſunt, ſanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus vix unquam ſanitatem reſtituit.... Poſt ſanguinis miſſionem ſi non redit & motus & mens, nihil ſpei ſupereſt: ſi redit, ſanitas quoque proſpicitur.* Sed præter hoc Celſi monitum veſicatoria applicata ſine levamine occaſionem mihi attulerunt ita ratiocinandi. Remedium hoc facultate qua pollet ſolidorum tonum inſtaurandi,

F

(a) *Lib. III. Cap. XXVII. pag.* 178.

di, fluidaque rarefaciendi, eorumque nimis ſtrictos nexus diſſolvendi, pulſus elatiores facit. Contra in hoc caſu pulſus qui expanſi, & fortes erant, debiles, parvi, tardique evaſerunt: Itaque videtur talis in ſolidis cerebri laxitas, & talis preſſio facta fuiſſe, ut nullo auxilio removeri potuerit. Irreparabilem igitur Apoplexiam fortem brevi futuram pronunciare auſus ſum, nec me conjectura fefellit. Hac ratione explicandus Celſus eſt. Non enim venæ ſectio occidit, ſed ſi non juvat, indicio eſt cerebrum nimia laxitate, preſſioneque laborare: quas cerebri hæmorrhagia ſubſequitur, ut admonet Hoffmannus. (a) Sic Swietenius: *dum mollis illa, & tenera medullaris encephali ſubſtantia validius talem compreſſionem paſſa eſt: ſemper metus eſt, ne deſtructa jam ſit. Præterea in hoc caſu vaſa ſanguinea ultra modum diſtenta in calvariæ cavo cum pariter craſſioribus tunicis orba ſunt, rumpuntur facile, & tunc fortiſſimam, & immedicabilem apoplexiam producunt* §. 1031. Ægrotans hic tractatus fuit blandis-

(a) *Cap. I. de reſol. nerv.* §. *XXV.*

dis Catharticis, & decoctionibus nitroſis, & refrigerantibus ſecundum doctrinam Martiani, & Swietenii, qui in ſanguinea apoplexia a volatilibus & acribus abſtinendum præcipiunt, contra quoſdam Practicos, qui venæ ſectione peracta, ſanguineam Apoplexiam eodem modo ac ſeroſam tractandam eſſe docent. Sed perperam: quia acria & volatilia ſolidorum motum concitant, & fluida rarefaciunt; ideoque majorem ſanguinis quantitatem ad cerebrum compellunt, vaſa magis diſtendunt ad rupturam uſque. Fugienda igitur perverſa hæc medendi methodus.

ÆGROTUS III.

VIr octogenarius repente cecidit, contuſionem paſſus eſt in muſculis coxendicum, deque ſummo dolore conquerebatur. Exceptus eſt in Noſocomium: notavi os perverſum, & ſermonem minus expeditum. Monitus ab hiſtoria ſimili a celeberrimo Morgagno allata, decrevi caſus, & contuſionis cauſam quoque ab Apoplexia leviori repetere, quamvis Æger ab

alia cauſa repeteret, quod nimirum in ambulando aliquid offendiſſet.

Huic Ægrotanti ſanguinem non detraximus quoniam illius corpus exſuccum erat, atque aridum tum natura, tum ætate. Hanc Apoplexiam potius ab penuria ſpirituum, quam ab ſeri, vel ſanguinis redundantia ortam exiſtimavimus, habita ratione ætatis & corporis adeo ſicci. Remedia fuerunt enemata, & decoctiones ſalviæ, cum juſculis corroborantibus, hiſque ſimplicibus remediis convaluit.

SCHOLIUM.

ANimadvertendum eſt non quoslibet caſus in terram eſſe ab offenſione fortuita, ſed quandoque ab Apoplexia dependere. Hoc monitum ad Apoplexiam dignoſcendam a laudato clariſſimo Viro habemus (*a*) hominis ſexagenarii, qui inter ambulandum ex fortuito lapſu caput magno impetu ad ſolum allidit. Leviter

(a) *Epiſt. anat. Medic. II.* §. *XI.*

ter ſtupidus, fronte contuſa, e naribus ſanguine erumpente, & hæc conſecuta ſiniſtri artus ſuperioris reſolutione, aphonia, difficili reſpiratione, quinto die obiit. Cum reſerato cranio dura meninx nihil niſi levem aliquam contuſionis exhiberet notam, quæ ad meningem alteram non tranſierat; in dextero tandem ventriculo cerebri repertæ ſunt unciæ concreti ſanguinis circiter duæ: corpus autem ſtriatum ita cum plexus choroidis parte eroſum, ut vix ullum ſui veſtigium relinqueret. Quare ſapientiſſimus hic Scriptor non a caſu Apoplexiam, ſed caſum ab Apoplexia deduxit. Et jure merito, cum in cadavere notæ contuſionis Apoplexiam inferre valentes nullæ inventæ fuerint, ſed ſanguis extra vaſa fuſus in ventriculo, qui paſſim in aliis apoplexiis ſanguineis invenitur. Hæc igitur hiſtoria me edocuit. Quapropter neque in noſtro Ægrotante contuſio attendenda fuit; ſed alia etiam minute obſervanda. Cumque os diſtortum, & linguæ motum impeditum adnotaſſem, diſcipulis morbum Apoplexiam eſſe indicavi, ſed levem. Et ſane paucis diebus os compoſitum eſt, & lin-

gua

gua ſoluta. Levis Apoplexia non facilis cognitu eſt, quandoquidem innumeri fere ſunt ejus gradus. Quælibet pars in cerebro compreſſa, a qua nerveæ iſtæ vel illæ parvæ fibræ, originem habeant, levem Apoplexiam gignere poteſt: hinc quandoque unica tantum pars læditur, quandoque memoria tantum.

ÆGROTUS IV.

SEnex nonagenarius quarto die morbi in Noſocomium delatus eſt. Febre laborabat, quæ illum aggrediebatur hora 22. cum rigore totius corporis, præcordiorum anxietate ſumma, & lethargo, qui quidem ab initio febris uſque ad horam vigeſimam diei ſequentis durabat. Pulſus omnibus modis inæquales erant. Urina ſaturate-rubra lateritium ſedimentum exhibebat. Statim Chinam Chinæ præſcripſi ad drachmas duas ſingulis horis. Die ſequenti febris renovata eſt, ſed mitior; nec ita lethargicus fuit Ægrotans. Tertio liber a febre fuit, pulſus compoſiti ſunt, anxietates omnes evanuerunt, & brevi de No-

Noſocomio ſumma cum diſcipulorum admiratione ſanus deceſſit. Sumpſit corticis unc. iv.

SCHOLIUM.

TErtianam hanc duplicem febrem, continuam fuiſſe, quoniam Ægrotans numquam a febre liber permanebat, acceſſionum ratio oſtendit. Propter gravia autem ſymptomata præcipue lethargi, pernicioſa cum Mercato (*a*) vocari poteſt. Hic auctor primus fuit, qui periodicas febres ita denominaverit. Mercatum ſecuti Mortonus, & Tortius. Primus pernicioſas febres ſpecie aliorum morborum, cortice curavit, potius ratione alicujus gravis ſymptomatis, quam ratione eſſentiæ febris. Tortius vero optime illas deſcripſit, & in ſpecies quaſdam diviſit, quem vide. (*b*) Haſce ille febrium pernicioſarum intermittentium, vel remittentium ſpecies enumerat: Cholericam videlicet, vel Dyſentericam: Subcruentam, vel Atrabilarem: Cardia-

(a) *Lib. VI. pag.* 541.

(b) *Lib. III. Spec. Therap.*

diacam : Diaphoreticam : Algidam : Syncopalem, & Lethargicam, quæ febres ita denominantur, ex præcipuo ſymptomate, quod ſecum ferunt. Poſt Tortium Werlophius exactiſſime lethargicam pernicioſam tertianam deſcripſit (a) ut & quartanam apopleticam dictam, cujuſmodi febrem mihi videre contigit in Nobili quodam Centurione Octogenario, qui cum febris accedebat in ſiniſtra corporis parte, paralyſi ſummo cum ſopore corripiebatur. Secundæ febris deceſſum cum expectare voluiſſem me prope pænituit tarditatis meæ in cortice dando, ita enim ſopitus erat, ut ne expergiſci non poſſet vereremur. Cortex ſumptus effecit ne tertius paroxiſmus accederet. Haſce febres pernicioſas, & præcipue lethargicas nuperrime quoque ſatis docte Rocchus Melacini ſuo in opuſculo, fere apologetico, deſcripſit. Cum in febre aliquod ex prædictis ſymptomatibus periodice invadentibus apparet, licebit illam pernicioſam denominare, ac ſtatim cortice curare, aliter ægri in paroxiſmo facil-

(a) *Obſervat. de feb.* §. *V.* & *ſeqq.*

cillime pereunt. Ita fecimus in hoc noſtro feliciſſimo cum eventu, & cum diſcipulorum admiratione tanto majori, quia aliud ſymptoma accidere viderunt quod ego eis dixeram, metuere me ſcilicet ne accideret ſanguinis ſputum. Hunc in metum veneram ob magnam anxietatem, qua Æger premebatur, quæque lateris dolorem quemdam afferebat. Hæc omnia mala cum febre cortex penitus ſuſtulit.

ÆGROTUS V.

VIr quidam Germanus quinquagenarius temperamenti bilioſi, quintus jam erat menſis ex quo febre continua ſubintrante laborabat, cum in Noſocomium ingreſſus eſt. Morbi hiſtoriam ab eo accipere non potui, quia neque ego illius lingua, neque ille niſi ſua loqui noverat. Faciem igitur pallidam, & collapſam notavi, pulſus contractos, ac fere ſerratos, linguam ſiccam, & mentis aliquam perturbationem: itaque morbus graviſſimus viſus eſt. At urina valde rubra cum lateritio ſedimento me in ſuſpicionem

induxit de febre periodica pernicioſa. Poſtridie mane pulſus elatiores inveni eadem cum urina. Tertio die pulſus eadem hora qua tribus ante diebus, contracti apparuerunt. Statim corticem præſcripſi: ſed tempus illi ad facultatem ſuam exerendam vis morbi non reliquit. Æger illa ipſa acceſſione extinctus eſt.

S C H O L I U M.

HÆc febris videtur fuiſſe ex genere earum, quas Tortius continuas proportionatas vocat (*a*) quæ ex ſubintranti, & remittenti ortæ, ab his ad continuas tranſeunt. Haſce febres quamvis continuitatem adeptas, cortice curandas eſſe Sydenhamius, Mortonus, ipſeque Tortius affirmant. Id ego ſtatim feciſſem, ſi morbi naturam ex ipſius Ægri hiſtoria perſpicere licuiſſet. Pernicioſum morbum illum eſſe ex ſignis oſtendi: meiſque diſcipulis dixi, quam parva ſpe corticem Ægro ſumendum præſcriberem. Nam

(a) *L. V. Cap. I. pag. mihi 265.*

Nam hujuſmodi febres, ſumpto etiam cortice, ut Tortius admonet, (*a*) quandoque lethales fiunt. Eæ ſive primitus continuæ ſint, ſive poſtea tales evadant, difficiles admodum cognitu ſunt, quia quandoque inordinatas exhibent exacerbationes, quas potius ab urgentiori aliquo ſymptomate noſcere licet; præcipue ſi etiam urina valde rubra ſit, quæ ſecundum Tortium, alioſque Scriptores, harum febrium pathognomonicum ſignum habetur. Hæc res me protinus admonuit, ut periodicam febrem timerem, quod palam ſignificavi: certiorem tamen de hac re me fieri oportebat obſervatione alius ſaltem acceſſionis, antequam corticem darem. Sed heu quam præceps occaſio! quod parum dolendum, ſi non ſimul tam difficile judicium, tam periculoſum eſſet experimentum.

(a) *L. II. Cap. VIII.*

ÆGROTUS VI.

VIr quadragenarius conſtitutionis corporis bilioſæ, febre cum rigore, & lateris dolore acuto, qui tactu augebatur, correptus fuit. Nulla tuſſis aderat, nulla reſpirandi difficultas, febris tamen acuta permanebat horis veſpertinis recrudeſcens. Lingua flava & arida apparebat. Crudæ erant urinæ, alvus ſupreſſa. Sanguis ut detraheretur juſſi, quem craſſa, & denſa cruſta obductum inſpexi. Oleum e ſeminibus lini ſumpſit Æger ad IV. uncias: dolor a latere diſceſſit, & lumborum regionem aggreſſus eſt. Decoct. hord. nitrum emulſ. e ſem. frig. ſerum vaccin. depur., & aliquod purgans ex caſſia pro remedio adhibita ſunt. A lumbis dolor ad inteſtina ſe convertit, magiſque ad eam partem, quæ intus eſt ad lumborum vertebras. Denuo ſanguis detractus fuit, minuſque craſſus apparuit. Urinaria veſica affici tandem cæpit. Dyſuria adfuit: urinæ crudæ mucoſum ſedimentum habebant. Methodus curandi eadem ſemper fuit. Separa-

tio-

tiones nullæ ſubortæ ſunt, niſi ſudor ſub finem morbi, qui trigeſimo die judicatus eſt.

SCHOLIUM.

FEbrim hanc a Rheumatiſmo ortam exiſtimavimus. Quamquam lateris dolor adeſſet, quia tamen & tuſſis, & difficilis reſpiratio aberat, ad pleuritidem morbus minime pertinere videbatur; itaque cum Ballonio, Baglivio, & Sauvages morbum hunc pleuritidem notham rheumaticam nominare potuiſſem; at placuit Rheumatiſmi nomen retinere: & tunc magis cum dolor lumbos occupavit (quem Græci Lordoſim, recentiores Medici lumbaginem Rheumaticam appellant) ideam complevit, ut videre eſt apud Riverium, Sydenhamium, & Boerhavium. Cauſæ morbi hujus repetendæ ſunt primum a temperamento Ægrotantis bilioſo, in quo ſerum acre redundat: deinde ab impedimento inſenſibilis perſpirationis quod fere pro cauſa procathartica Rheumatiſmi haberi ſolet, ſerum tanto acrius, & craſſius viſcidiuſque fa-

ctum

ctum eſt , unde craſis ejus flogiſtica , ſtaſis , & ab fibrarum diſtractione dolor. Quod a Thorace ad lumbos , deinceps ad interiores partes tranſierit ; hæc nimirum natura eſt morbi hujus , ut Riverius , & Boerhavius obſervarunt. Morbus hic diuturnus eſt : at ſi cum febre conjunctus ſit , breviorem eſſe docet Riverius (*a*) his verbis : *ſi cum febre Rheumatiſmus oriatur , brevior eſſe ſolet , ſed diris cruciatibus , & acerbioribus Ægrum exercet : & tunc intra* 20. *vel* 40. *dies ſolvitur , aut maximam ſaltem patitur imminutionem: ſudores in declinatione morbi ſalutares*. Urinæ craſſæ , & multæ in declinatione morbi prodeuntes, morbi ſolutionem afferunt. Omnibus his modis Æger noſter adjutus eſt. Urinæ autem mucoſæ ſimiles videntur fuiſſe iis , de quibus Hippoc. (*b*) *Quibus ſperatur abſceſſus ad articulos , eos liberat ab abſceſſu urina multa , craſſa , & alba*. Sed id quod breviorem morbum reddidit , methodus curationis fuit , quæ ſerum acre , & craſſum attenuavit , temperavitque , magiſque ad ſecretionem

(a) *Prax. Medic. Lib. XVI. Cap. III. de Rheum. pag.* 413.
(b) *IV. aphor. XLIV.*

nem aptum fecit. Hinc Boerhavius, & Sydenhamius volatilia, & acria proſcribunt, immo Boerhavius in ſemetipſo ſero lactis tantum uſus eſt.

ÆGROTUS VII.

VIr quadragenarius bilioſo temperamento præditus ſecundo morbi die in Noſocomium illatus eſt. Febris illum cum rigore pridie corripuerat, quem ſtatim lateris ſiniſtri perfodiens dolor ſubſecutus eſt cum difficili admodum reſpiratione, tuſſi moleſta, ſputo mixto ex lympha & veluti nigreſcente ſanguine. Pulſus non admodum duri, ſed omnino omni inæqualitatum genere inæquales erant: ſanguinem ſtatim detrahi juſſi, qui cruſta pleuritica obductus apparuit: veſicatoria cruribus admota, & diluens calida potio copioſe data, præmiſſo oleo e ſeminibus lini; nitroſi quoque pulveres præſcripti. Quarto die pejora facta ſunt omnia, ſputis fluidis factis; itemque mors proxima videbatur, cum veſicatorium lateri applicatum affecto,

cto, & interne datus extractus ſcabioſæ, addita camphora. Poſtridie mane pulſus compoſiti ſunt, & ſputa probatum colorem exhibuerunt: quod levamen etiam ſexto die perſeveravit cum minori moleſtia reſpirationis, faciliorique anacatharſi. Urinæ antea rubræ, & crudæ jam ſignum aliquod concoctionis indicarunt. Verum Æger a lecto ſurrexit, & ſubucula tantum tectus tota nocte humo procubuit. Poſtridie omnia in pejus ruunt, ſputa nigra prodeunt: proxima nocte mortuus eſt.

SCHOLIUM.

FEbris a rigore incæpta, perſodiens lateris dolor, difficilis admodum reſpiratio, pulſus duritas, & tuſſis cum ſputo ſanguineo-limphatico ſatis aperte indicarunt morbum Pleuro-peripneumonicum: ſputum vero ad nigredinem vergens in principio morbi perniciem præſagivit, ut diſcipulis meis ſtatim ſignificavi ex Hippocrate in Coac. prænot. *At vero ſputum cruentum nimis, aut lividum initio ſtatim, peſtiferum.*

Quar-

Quarto die cum omnia pejora facta fuiſſent, tanto gravius mortis periculum eſſe dixi ex eodem Hippocrate in Coac. prænot. ubi ait: *Quibus autem pleuriticis initio quidem dolores ſunt mites, ingraveſcunt autem quinto die, aut ſexto, facile ad duodecimum uſque perveniunt, ac raro illi ſervantur. Periclitantur ſeptimo, aut duodecimo.* Nihilominus eodem die veſicatorium lateri admoveri juſſi, ſecundum Trilerii obſervationes; ex quo remedii genere quoſdam mirum in modum ſervatos ipſe videram. Et jam antiquis temporibus ſimile remedium adhibebatur, quod ſuper pectus impoſitum, cutem eroderet, ut ex Celſo (*a*) apparet. Pleuro-peripneumonia affectio inflammatoria eſt membranæ pleuræ, pulmoniſque, & ratione pulmonis vel in bronchiali arteria, vel in pulmonali tantum ſtaſis contingit, vel in utriſque, & tunc quidem omnium eſt periculoſiſſima, ut in hoc noſtro Ægrotante fuit. Quando magna adeſt inflammatio, magnus dolor, facile in gangrænam morbus tran-

H ſit,

(a) *Lib. IV. Cap. VI.*

ſit, diſtentis nimium vaſis, nerviſque compreſſis, & ſpirituum fluxu per eoſdem impedito. Et quoniam in externis gangrænis locus liveſcit ex ſanguinis lentore, & alcalina corruptione, idem in internis, atque adeo in pleuro-peripneumonia contingere ex ſputi livore, vel nigredine Swietenius (*a*) colligit. Ad hanc igitur evitandam canales reſerandi ſunt, eorumque proximorum robur inſtaurandum, quod veſicatorium lateri applicatum videtur maxime omnium remediorum præſtare. Componitur enim ex cantharidibus, ex quibus extracta tinctura, & ſecundum Baglivii experimentum in moloſſi jugularem injecta ſanguinem ſolvit, atque colliquat: ſolida inſuper roborat. Scimus in latere dextero Thoracis venam ſine pari, quod ipſimet Hippocrati (*b*) quoque notum fuit, poſitam eſſe, hujuſque truncum admodum dilatabilem, ut in ipſo ſanguis in motibus violentis & acutis pectoris morbis aliquantiſper immorari poſſit, ſed ejus potior uſus is eſſe vi-

(a) *In Comment.* §. 844.
(b) *Lib. I. de morb.*

videtur, ut ſanguis intercoſtalium arteriarum brevi itinere in cor feratur. Quamobrem cenſet Boerhavius: (*a*) *Admirabili apparatu id fieri, ut liberrima hic, nec impedita a copioſo ſanguine venæ Cavæ fiat ſanguinis circumductio: dum partes in eam venam ſe exonerantes, nempe intercoſtalia loca, & magna pars membranarum in Thorace poſitarum haud ferant impedimenta, ſine maximo, & præſentiſſimo quidem vitæ periculo... Hic eſt iter laxum ex arteriis in venas. Unde intelligitur ratio celeritatis in his viis, ut & frequentiæ acutiſſimorum hic toties accidentium morborum*. Arteriæ intercoſtales ortæ ad angulos rectos ex Aorta per coſtarum crænam perioſtio tectæ antrorſum meant per fabricam celluloſam inter pleuram & coſtarum perioſtium poſitam; earumque ramuli in muſculos intercoſtales, Pleuram, Cartilagines coſtarum, ipſamque cutim diſtribuuntur, ut Euſtachius, (*b*) & Ruiſchius (*c*) docent. Summo hominis damno fieret ſi ex his partibus liber ſanguinis reditus non eſſet.

 Cla-

(a) *T. III. prælect.* §. 308.
Antigram. XVIII. pag. 308. (c) *Theſ. anat. VIII. Epiſt.* 5.

Clariſſimus Lanciſius germina hujus venæ deſcribens ab iiſdem partibus petit , in quas arterias intercoſtales diſtribui ex Euſtachio , & Ruiſchio modo dictum eſt. Sed præter hæc celeberrimus hic auctor alia germina , quamvis non in omnibus , in latere ſiniſtro cum vena emulgente , in dextero frequenter cum Cava , atque cum recurrente a teſtibus , atque etiam in mulieribus ab utero in Azygam concurrere obſervavit. Injectiones quoque inſtituit in Azygam , & liberum iter ab ipſa in emulgentem , & Cavam , & ab utriſque in Azygam detexit , ut dubitandum non ſit , inquit (*a*) , *quin ipſius naturæ providentia paratæ ſint ejuſmodi vaſorum inoſculationes , ne videlicet vena modo Azyga , modo Cava in magnis, variiſque corporis conatibus , atque adeo diaphragmatis potiſſimum contentionibus nimiam plenitudinem propter interceptum , & ſubſiſtentem ſanguinem paſſa , diſrumpi poſſet*. Alia quamplura ibidem inveniuntur , quæ digna quidem omnino ſunt ut legantur , quæque , ne tædio ſim , libenter o-

(a) *Diſſert. de ven. ſin. par.*

omitto, contentus indicare truncum venæ Azygæ in dextero latere ſitum eſſe, atque cum ſuperiore Cava, extra pericardium, & ſupra Aſperam arteriam inoſculari, & quandoque truncum etiam minorem in ſiniſtro latere inveniri in lævam ſubclaviam ſeſe exonerantem, oſtiaque harum venarum valvula inſtructa eſſe; quamquam Hallerius (*a*) numquam eas viderit, ſed rugas tantum valvularum ſimiles. Ex his facile intelligitur, cur in pleuro-peripneumonia veſicatoria lateri affecto impoſita, ſæpe magno promptoque auxilio ſint. Exulceratis & corroſis cutaneis venis nihil facilius quam cantharides per ipſas cito ferri in Azygam, & ſanguinem in ea contentum, ab iis ob facultatem qua pollent attenuari, ac ſolvi. Porro ſanguis partim jam ſolutus, partim cantharidum particulis fœtus cum cito ad cor perveniat, & ad arteriam ipſam pulmonalem ſanguinem quoque ipſius arteriæ attenuabit, atque ſolvet.

Ita opinor evenit in hoc Ægrotante, de quo ſer-

(a) *T. III. Prælect. Acad.* §. *cit. not. XIX.*

ſermo eſt , atque hac de cauſa die ſequenti ab applicatis veſicatoriis pulſus compoſiti ſunt : elatiores , fortiores , æquales apparuerunt : ſputa faciliora , & meliora facta ſunt . Et quamquam ſpes , quæ aliqua adhuc eſſe videbatur , nos fruſtrata ſit : fortaſſe etiam ob grave damnum , quod ſuſceptum tota nocte qua humo jacuit, frigus Ægro non inferre non potuit (etſi in veſicatoriis non ſatis præſidii fuerit , quominus mors conſequeretur) tamen illud negari non poteſt multum illa profuiſſe , ut maxime quod pectori admotum eſt . Idque præſertim velim in hac hiſtoria attendi . Hoc meo in primo labore deeſt quidem cadaverum ſectio , quia res ita tulit , at non deerit , ſi Deo placuerit , in futuro .

ÆGROTUS VIII.

BAjulus annorum 20. conſtitutionis corporis ſanguineo-bilioſæ ob nimios labores cum caloris & frigoris viciſſitudine in febrem incidit , quæ a rigore incæpit . Subſecuta dein to-

tius

tius corporis incaleſcentia , ſed horis veſpertinis horrores irregulares accedebant , & ſæpius etiam de die quoties per lectum commovebatur. Artus , & dorſum dolore vexabantur veluti ex contuſione : ſitis moleſta erat , urinæ flammeæ emittebantur : alvus nihil demittebat , & cum ſemiſopitus ſemper videretur , de capitis dolore numquam conqueſtus eſt. Sanguis ut ad libram detraheretur ſtatim juſſi , iſque craſſus , ſine cruſta tamen apparuit. Mane ſequente caſſiæ unc. 1. fuit propinata , & poſtea libra una ſeri vaccini depurati : unde alvus ſoluta eſt. Decoctum item ex malva , viola , & parietaria cum ocul. canc. & nitro copioſe exhibuimus. Quibus urina quidem melior viſa eſt ; at febris eumdem tenorem ſervavit uſque ad undecimum diem , quo die pulſus , qui prius duriuſculi , & contracti erant , apertiores , & molliores facti ſunt, urinaque concoctionis ſigna exhibuit. Imminentem criſim aliquam prædixi : & revera veſpere narium hæmorrhagia erupit , quam cuſtodes exterriti aqua frigida cohibuerunt. Febris eadem perſeveravit cum majori capitis turbatione , ita

ut

ut aliena loqueretur. Pediluvia fieri juſſimus, & aquam calidam per nares hauriri. Decimo quarto die continuatis diluentibus & nitroſis, ſuborto ſudore convaluit.

SCHOLIUM.

HÆc febris, habita ratione ſymptomatum, ex earum genere viſa eſt quas Philippus Nenter Rheumaticas appellat (*a*), eam tamen non eadem omnino methodo curavimus, quam ſequitur Autor iſte. Corporis exercitationes validæ, caloris & frigoris viciſſitudines in cauſa fuerunt, ut ſerum craſſius fieret, & minus aptum ad ſanguinem diluendum, propterea que is craſſior factus, & acris febrem intulit. Quoniam vero cohibita perſpiratio frigore fuit, humor acris retentus ſerum ipſum inquinavit, quod lenteſcens hinc inde velut ex contuſione dolorem univerſalem movit, & frigoris viciſſitudines, ubi Æger per lectum commovebatur. Corpus

(a) *Tab. CIX. Cap. XXXIII. pag.* 362.

pus exercitatum quod fere ſanguinem denſum habet, ætas juvenilis, & ſanguinea Ægrotantis conſtitutio, ut ſanguinem mitterem, me impulerunt; ut ſolidis laxatis, & fluidis attenuatis facilius eorum circulus perageretur. Diluentia aquoſa nitrata in eumdem finem propinata ſunt: contra autem auctor modo laudatus diaphoretica, & volatilia dari præcipit, quæ, ut mihi videtur, ſolida magis irritando, & fluidiora diſſipando febrem potius majorem feciſſent: exitum diſcipulis enunciavi felicem futurum quoniam febris cauſa nulli viſceri inhærebat, nec ullum aderat peſſimum ſymptoma. Docet enim præcitatus Scriptor, *quod hæc febris per ſolam tranquillam continentiam, & per diaphoreſim a natura curatur*. Quod ſi horripilationes interdiu oriantur, facilius judicatur. Quibus obſervationibus innixus non dubitavi probabilem ſanationis ſpem afferre. Neque ignoro, quæ de febre catharrali, ſeu Rheumatica, docuit Hoffmannus, interdum malignam eſſe. At nullum malum ſymptoma aderat, quod hunc timorem incuteret. Itaque ſanguine e naribus erumpente

 for-

ſortaſſe ipſo undecimo die ſublata febris fuiſſet, ſi malo conſilio fluxum illum non cohibuiſſent: malo, inquam, conſilio, ſiquidem cum ſanguis cum levamine ferretur, exitus illi relinquendus erat ex præcepto Hippocratis: *quo natura vergit per loca conferentia, eo ducere convenit*. Nihil igitur mirum, ſi hæmorrhagia ſuppreſſa, caput magis gravatum fuerit, affluente majori ſanguinis copia, ibique veluti collecta. Sed pediluvia, & potio copioſa decoctionis nitroſæ ſubſidio naturæ fuerunt, ut opus interruptum alia via perficere poſſet. Cæterum ex illo ſuppreſſæ hæmorrhagiæ damno veritas, & utilitas confirmatur Hippocraticæ doctrinæ: *quæ judicantur & judicata ſunt integre, neque movere, neque innovare aliquid, ſed ſinere oportet*. Quæ obſervatio in praxi ſummi momenti eſt, eaque neglecta, ægro periculum a quibuſdam ſæpe creari vidi. Quare optime præcipit ſapientiſſimus Andreas Paſta ad eumdem aph. ſolam victus rationem.

Æ-

ÆGROTUS IX.

VIr quinquagenarius temperamenti bilioſo-melancholici, fibræ potius laxæ, ſub finem menſis Aprilis, tuſſi, difficili reſpiratione, & totius corporis laſſitudine cum febricula corripitur, quæ horis veſpertinis exaſperabatur levi cum rigore. Interdiu quoque vagæ horripilationes ſuboriebantur. Itaque in Noſocomium illatus eſt. Ex pulſibus vix febricitare videbatur: urinæ ſanorum ſimiles erant; magnus tamen anhelitus cum anacatharſi ſic ſatis facile materiæ viſcidæ & albæ. Nulla fere ſitis aderat. Sanguis ſtatim miſſus fuit ad uncias ſex: iſque cruſta ſatis firma obductus apparuit. Enema poſtea fuit injectum: tum oleum e ſeminibus lini propinatum ad uncias quatuor, decoctiones aperientes calidæ, additis tribus, vel quatuor mellis unciis, in potum copioſe datæ. Poſt aliquot dies morbus mitigari viſus eſt; at viſciditas in pectore permanebat; ad quam ſolvendam gummi ammoniacum vino albo ſo-

lutum cochleatim ſumendum præcepi : quo medicamento 30. dierum ſpatio a morbo liberatus eſt.

SCHOLIUM.

PEripneumonia notha homo laborare mihi viſus fuit, qui morbus novus fere putatur, & a Sydenhamio primum deſcriptus : & nomen quidem novum Sydenhamius excogitavit. At velim locum illum perpendi libri de internis affectionibus, quem habemus ſub nomine Hippocratis. Ita ſcribit auctor : *ſi inflammatio in pulmone oriatur, oritur autem præcipue ex vinolentia, & piſcium capitonum, & anguillarum illuvie, qui pinguedinem hominis naturæ maxime infenſam habent ; jam vero ortum habuit hic morbus a pituita cum ſanguini permixta ad pulmonem affluxerit. Incidit etiam ex carnis eſu, & aquæ mutatione. Hæc igitur ei contingunt. Vehementer tuſſit, & ſputum liquidum, & copioſum expuit, plerumque etiam craſſum, & album velut ex raucedine. Dolor acutus vexat in pectore, dorſo, laterum inani-*

nitatibus , & coſtis , & ex pectore , ac pulmonibus velut ex ventre quid murmurat. Rigor febris , & ſitis vehemens detinet , & ſi quid comedere velit in viſceribus ſtrepitus editur , vomitus cietur , & totum corpus occupat.

Comparetur quæſo hæc morbi deſcriptio cum deſcriptione Sydenhamii : tam morbus morbo ſimilis eſt , quam ovum ovo : cauſæ quæ ab Hippocrate indicantur eædem ſunt atque illæ, quas indicat Sydenhamius , qui vinolentiam præcipue accuſat : corpora ſuccoſa huic morbo magis obnoxia eſſe dicit , quia brumali tempore in ſe pituitam colligunt , quæ verno in motum cietur. Hippocrates piſces craſſos accuſat , quia pituitam generant. Symptomata quoque eadem ſunt ; ſcilicet tuſſis , ſputum , rigor, febris , pectoris dolor , gravitas reſpirationis , corporis torpor. Si igitur eadem pars afficitur, ſi ab iiſdem cauſis afficitur , ſi eadem ſymptomata ſunt , cur morbus non idem erit ? Sed quoniam longa , & multiplici obſervatione res magis illuſtrari ſolent , pleniorem morbi deſcriptionem poſt Sydenhamium videtur Boerhavius de-

diſ-

diſſe his verbis : (*a*) *Primo fallaci lenitate opprimit nec opinantes : quippe levi fatigatione , debilitate , proſtrato omni fere animi motu , anhelitu , oppreſſione pectoris incipiens , adeo leves motus excitat , ut vix caloris , febriſve indicia moneant periculi : mox vagæ horripilationes , leviuſculi febris inſultus adſunt : unde ſubito creſcente anhelitu & debilitate mors , cujus in urina , & pulſu vix ullum adfuit præſagium*. Ex lenibus hiſce ſymptomatibus , & gravi periculo ſatis deducitur difficultas , & neceſſitas diagnoſis morbi hujus . Hinc Swietenius in com. §. eod. ait : *morbus hic , ſi ullus alius , fallaci lenitatis ſpecie decipit minus peritos.... Interim magnum diſcrimen , quod in hoc morbo adeſt , poſtulat , ut accurate cognoſci poſſit in ipſo etiam ſui initio*. Et ſane adeo difficilis cognitu morbus hic eſt , ut celebrioribus etiam Viris impoſuiſſe videatur , & fortaſſe Valliſnerio quoque in ſemetipſo . Id enim ſuſpicari licet ex hiſtoria , quam de illius morbo dedit Clariſſimus Morgagnus (*b*) qui magna ſagacitate dolum

(a) *Aphor. de dign. morb.* §. 872.

(b) *L. II. de morb. Thor. epiſt. anat. medic. XXI. artic. XIV.*

lum morbi detexit : quamquam pro ſua prudentia dubitaverit morbus ille ad peripneumonias ne inflammatorias doloſas a Geſnero memoratas, an ad catharrum ſuffocativum a Scheneidero, ac Etmulero deſcriptum, an ad peripneumoniam notham Sydenhamii referendus eſſet : ſigna propria horum morborum perpendit: ſed caute admodum concludit : *ipſe nihil adhuc definio*. Quod ſi tantus Vir, tam magnus Medicus definire non audet, tanto minus ipſe definiverim. Plura tamen ſigna occurrebant, quæ ut Morgagno ipſi, ſic mihi quoque non inanem ſuſpicionem nothæ peripneumoniæ injicere valent; & inprimis pulſus qualitas, quod idipſum ſignificare valet, quod Boerhavius pro magno habet indicio talis morbi : *Vix*, inquit, *caloris, febriſve indicia moneant periculi*. Porro de Valliſnerio ita ſcribit Morgagnus : *brachia porrexit, carnes erant ut ſani hominis, pulſus autem æquales, & moderata magnitudine ac robore; juſto inter ictus ſingulos intervallo, niſi potius paulo longiore, ut ad raritatem vergerent. Quæſivi igitur num ſanus rarioribus forte pulſibus eſſe conſueſ-*

ſueſſet. Quod cum negaret, ſubjecit, a ſexageſimo anno intermittentes, ut ſeniores non pauci ſolent, habere cæpiſſe: eas intermiſſiones his diebus deſiiſſe indicio videlicet alicujus impetus paulo majoris. Quidam igitur aderat febris gradus, ſed omnino parvus, quem ſummus Vir detexit veriſſimo argumento uſus, quod ego pluribus exemplis confirmare poſſem. Sæpe enim pulſus valde inæquales, atque intermittentes febre accedente ordinari obſervavi, atque id phænomenum præcipue conſpicuum fuit in quodam Sene pharmacopola, in quo hoc unum certiſſimum febris ſignum ſemper deprehendi, pulſus ex inæqualibus, atque intermittentibus ordinatos factos ſic, ut in homine ſaniſſimo meliores inveniri non potuiſſent. Monitum hoc in praxi longe utiliſſimum eſt, præcipue in ſenum morbis extricandis, qui ab Hippocrate ſepulti dicuntur.

Cæterum Sydenhamius, & Boerhavius in peripneumonia notha deſcribenda, & in curatione ipſa, inter ſe diſcrepare videntur: ut non ſine ratione Clariſſimus Souvages *(a)* exclamet de Boe-

(a) *T. II. P. II. Claſ. V. pag.* 193. §. 12.

Boerhaviana : *quam diverſa a Sydenhamiana curatione* ! & quidem optandum maxime erat, ut aliquis obſcuritatem illam tolleret, quæ oriri videtur ex quibuſdam varietatibus, quæ reperiuntur inter hiſtoriam quam experientiſſimus Boerhavius, & inter eam quam Medicus alter ſollertiſſimus Sydenhamius dedit. Sydenhamius enim vomitum potulentorum omnium, urinas turbidas, & intenſe rubras, dolorem capitis a tuſſi dumtaxat, dolorem item totius Thoracis recenſet; de quibus nihil habet Boerhavius. Sed cum in præcipuis morbi phænomenis uterque conveniat, ideſt magno anhelitu, modica febre, horripilationibus, pectoris oppreſſione, quæ dolorem aliquem pectoris ſaltem ex contundente infert, ſi in nonnullis ad naturam morbi proprie non pertinentibus differunt, nihil mirum eſſe debet, tantoque minus quia alter Londini, alter Lugduni Batavorum medicinam exercuit, locis adeo differentibus. Atque hic omnino id valet, quod egregie animadvertit is, quem ſæpe nomino, Morgagnus : *pro varia ſanguinis, & corporum pulmonumque inprimis diſpoſitione ... variari ſigna*. Itaque

que ſi ſummus adſit anhelitus, iſque ad aliquod aſthematis periodici ſymptoma referri non poſſit, ſi horripilatio, ſi tenuis febris, ſi anacatharſis primo facilis, deinde difficilior, ſi pectoris oppreſſio, hæc mihi ſatis eſſe videntur ad morbi hujus diagnoſim ſtatuendam. Nam anhelitus magnus cum modica febre, non ſanguinem, ſed lympham in vitio eſſe demonſtrat: anhelitus magnus, quamvis cum modica febre, morbi tamen perniciem denunciat. Quare hæc tamquam ſigna pathognomonica haberi debent: cætera vero adventitia a varia Ægrotantium natura oriri credendum eſt. Neque neceſſe eſt corpora obeſiora eſſe, ciborum craſſorum, & vini nimium uſum præceſſiſſe, ut morbus iſte incidat, quas res adnotavit Sidenhamius. Interdum enim viſcerum, & pulmonis præcipue infirmitas id facit, quod alias externæ cauſæ faciunt. Nonne ſæpe contigit videre in morbo longo, lenique detentis, anginas, & pleuritides excitari ſine ullo in victu errore? Præcipua morbi ſigna attendenda ſunt, & quæ pars affecta ſit, qui humor peccet: quod ſi etiam accedat cognitio cauſæ ad eum

mor-

morbum efficiendum aptæ, tanto certior diagnoſis erit. Neque ſi Boerhavius, Sydenhamianam cauſarum animadverſionem non adhibuit, ideo morbus ab eo deſcriptus non idem eſt atque ille, quem Sydenhamius deſcripſit; cum, ut dixi, in præcipuis phænomenis utriuſque deſcriptio conveniat.

Ægrum igitur noſtrum Boerhaviana methodo curavi unica videlicet venæ ſectione, quia corpus ſuccoſius non erat, alioquin iterum ſanguinem mittere non dubitaſſem, juxta Sydenhamii præceptum, quo magis partis ſanguinis rubræ ſtaſim in pulmonibus impedirem: nam lenteſcente pituita, vel craſſa lympha in arteriis lymphaticis, rubræ arteriæ magis impletæ remanent, & inflammatio rubra ſuccedit, vel ipſis in arteriis rubris, vel errore loci, in feroſis. Enemata, decoctiones aperientes, mellita, & gummi ammoniacum prope finem, utpote valenter, ſed ſine æſtu attenuantia medicamenta, curationem abſolverunt: neque veſicatoriis opus fuit, quæ alioquin in morbis pectoris, præcipue lymphaticis, valde proficiunt, & ideo in hoc quoque genere a Boerhavio laudantur.

ÆGROTUS X.

JUvenis annorum 24. conſtitutione pleniori ad ſanguineam vergente, menſe Aprilis in febrem incidit, quæ horis veſpertinis cum horrore recrudeſcebat, quin ille etiam interdiu frequenter horrore aggrediebatur, cum ſe per lectum moveret. Febris tenuis erat, ſitis urgebat, & urina ferebatur intenſe rubra: reſpiratio difficilis erat cum anacatharſi paucæ materiæ liquidioris. Quarto die febris acutior facta eſt, difficilior reſpiratio, & horripilationes permanebant, vires corporis deficiebant, caput dolebat, & pectus quoque, ſed obtuſo dolore. Septimo die delirare cæpit, eoque delirium proceſſit, ut in phrenitidem evaſerit. Convulſiones acceſſerunt totius corporis, urinæ tenues, pellucidæque factæ: undecimo die mortuus eſt. Hæmorroidibus quoque hyrudines admotæ ſunt. Enemata etiam, & quædam ex valentioribus remediis internis adhibita; ſed incaſſum, ut & ad convulſiones emulſio ex papaveris albi ſeminibus, & moſchus ad grana 20. in aqu. cer. nigr.

SCHO-

SCHOLIUM.

HIc quoque morbus peripneumonia notha fuit, ſaltem in principio, ut mihi videtur. Nec refert febrem quarto die graviorem extitiſſe, nam id nimirum evenit quoties ſtaſi materiæ lymphaticæ ſuccedit ſtaſis ſanguinis ipſius, ideſt ubi peripneumonia notha in legitimam tranſit.

ÆGROTUS XI.

VIr quinquagenarius habitu corporis ſanguineo-melancholico ob varia animi pathemata, Octobris menſe, anno 1765. in delirium melancholicum incidit, quod paſſim in Maniacum etiam tranſibat. Phlebotomiæ variæ ex venis, & ex arteria temporali, aliaque optima medicamenta a prudente Medico adhibita fuerunt, quæ nihil profecerunt; furens enim, & irrequietus interdiu, noctuque aliorum Noſocomii Ægrotantium tranquillitatem perturba-

babat. Legeram forte obſervationes Medico-practicas de Mania ſapientiſſimi Maximiliani Locher ſumma cum laude Viennæ in Noſocomio S. Marci, Medicinam facientis, ex quibus aceti vim in hoc morbo curando deprehenderam. Cumque noverim quam vera is ſcripſerit circa mercurii ſublimati *corroſivi* facultatem in venereis morbis, tanti Viri auctoritate permotus, vim quoque aceti in mania experiri ſtatim mihi in animo fuit.

Igitur ut Ægrotans in aliquo ex meis lectis cubaret, præcepi, ipſique mixturam ſequentem propinavi. ℞. Camphor. unc. un. ſacchar. canar. mucilag. gumm. arab. aa unc. I. his ſimul in mort. vitr. trit. adend. acet. calid. unc. med. aqu. flor. ſamb. unc. VI. Syrup. flor. Rhead. unc. I. quam cochleatim totam ſumeret intra biduum, & ſic porro pergeret. Quindecim diebus æque irrequietus fuit ut antea, ſed poſt illos paulatim reſipuit, menſque illi compoſita eſt, & adhuc permanet in hoc ſanitatis ſtatu. Nullæ a remedio ſeparationes obſervatæ ſunt, niſi dolor ſub poplite ſiniſtro ſine ulla intumeſcentia, qui ad hu-

humeros quoque, diffuſus eſt. Spatio menſis unius cum dimidio ſanus de Noſocomio deceſſit.

SCHOLIUM.

QUam ſit curatu difficilis morbus Maniæ, & Melancholiæ notum omnibus eſt, & præcipue ſi diu ſæviat, quia, obſervante celebratiſſimo Morgagno (*a*), morbus hic in organicum tranſit indurata medullari ſubſtantia cerebri. Multum quidem ſapientiſſimo Locher debemus, qui orbi remedium hoc aceti præſtantiſſimum indicavit. Illud tamen a Boerhavio fatetur ſe didiciſſe, qui (*b*) acetum diſtillatum medicamentum maxime idoneum ad atram bilem curandam prædicat. Nihilominus tam præclaras obſervationes inſtituit, ut Clinicorum animos ad illud adhibendum erexerit. Multas exhibet practicas cautelas, quas in medium afferre in commune bonum non inutile fore arbitror.

In-

(a) *Epiſt. anat. medic. VIII. art. 6. 7. & ſeqq.*

(b) §. 1117. *aphor.*

Inprimis ait, morbum debere eſſe recentem, & ad ſummum anni unius, hoc enim præterito tempore immedicabilis morbus evadit. Obſervat inſuper acetum diſtillatum tollerari facilius ſumptum poſt prandium, præcipue in mulieribus propter earum fibræ promptiorem irritabilitatem, quam mane exhibitum. Quapropter mane præmittit infuſ. ſaturat. Hiperic. lib. 1. poſt meridiem acet. diſtill. unc. 1. cum dim. cochleatim ſumendam præcipit. Summopere hiperici infuſum commendat, quamvis in curanda mania aceto gloriam tribuendam obſervaverit, camphoram enim ſolam, aliaque remedia in mixtura modo memorata ſeparatim adhibita nihil profeciſſe, ſed tunc tantum cum acetum fuerit adjectum. Ope mixturæ hujus ſudores præcipue, aliaſque ſecretiones promoveri affirmat: in noſtro autem Ægrotante nulla ſuborta eſt ſeparatio, præter dolorem ſub poplite ad humeros etiam diffuſum, qui velut ſeparatio haberi poteſt, metaſtaſi facta humoris atrabilaris ad crura quod in morbis capitis, & pectoris a natura tentatum nos ſummo cum levamine obſervavimus; quod & ab

Hip-

Hippocrate (*a*) doctum fuiſſe legimus. Remedia determinatam viam non ſubeunt, ſed illam tantum, quæ naturæ, & ægrotantium peculiari conſtitutioni convenit. Mirum valde fuit diſcipulis Maniacum ſine ulla ſeparatione ſanatum fuiſſe.

Venæ ſectiones, purgantia, & veſicatoria ſi opus eſt præmittit; deinde ad acetum diſtillatum devenit, atque, ut ejus calculo ſanatorum Ægrotantium apparet, æſtate citius quam hyeme ſanitati reſtituti ſunt. Noſter tamen etiam brumali tempore quam citiſſime convaluit. Remedium hoc indiget quidem confirmatione, cum unica curatio a me facta non ſufficiat: at ſufficit auctoritas tanti Viri.

ÆGROTUS XII.

MOnialis laica in Cœnobio S. Marci hujus Urbis annorum 35. temperamento ſuccoſo ad pituitoſum vergente, quinque abhinc

(a) *In Coac. prænot.*, & *in lib.* 1. *de morb. vulg.*

hinc annis a propria ſanitate recedere cæpit, demittendo per alvum faſcias quaſdam albas anguſtas, & prælongas. Hoc anno in conſilium ego quoque vocatus fui, quæ dum mihi exponerentur, eas faſcias, vel polypum inteſtinorum, vel Latum vermem coram Monialibus eſſe pronunciavi; meam vero ſententiam ad vermem Latum potius propendere. Quapropter ſi alias ſimilem excerneret, petii ut ſervaretur ad examen inſtituendum. Febri hæc Religioſa tertiana duplici tenebatur cum diarrhæa bilioſa, & doloribus lumborum, ſcrobiculique cordis. Imus venter tractabilis erat: pectus autem parumper oppreſſum, ſputaque craſſiora emittebat. Os amarore afficiebatur, mollis tamen lingua. Ædema crus, & ſiniſtrum femur occupabat. Paucis poſt diebus faſcias ſolitas per alvum excrevit, quibus ad trutinam revocatis, vermis in iis Latus duarum ulnarum longitudinem æquans, detectus eſt. Quoniam vero etiam in Noſocomio Ægra verminoſa febre laborans aderat, occaſio tulit ut vermem hunc diſcipulis publice oſtenderem. Elapſis paucis diebus al-

alterum vermem iterum per alvum demiſit longitudine ulnarum quinque, quem charta ſe dirupiſſe affirmavit, cæteroquin longiorem vidiſſemus. Cortex peruvianus cum rhabarbaro præſcriptus fuit, ut febris periodus tolleretur: quæ revera ſublata eſt, leniori quamvis febre remanente. Uncia una caſſiæ propinata fuit ſuperbibendo lib. 2. aqu. Tectut. additis caſſiæ mercur. dulc. gran. VIII. Per alvum multa bilioſa dejecit. Poſt quartum diem rurſus aqua illa exhibita fuit, & etiam tertia vice. Per alvum ſemper bilioſa prodierunt. Diebus mediis ſemen contra vermes devoravit. Paroxiſmi febriles innovati ſunt cum rigoribus, & horroribus totum corpus concutientibus, & perdurantibus; quod dum incaleſceret difficilis admodum reſpiratio, & genarum rubor verſatilis obſervabatur. Quare habita ratione rigoris vagi, reſpirationis difficilis, tuſſis antiquæ, genarum ruboris, ſputi varietatis, & cruris, femoriſque ædematis, una cum ingenuo Viro Cæſare Ponti, qui Medicus ordinarius erat, in eam opinionem devenimus ut in pulmonibus tuberculum, aut vomicam

latere judicaremus. Nec nos feſellit opinio: paucis enim poſt diebus pus per tuſſim excretum cum remiſſione omnium ſymptomatum apparuit. Perducto ad cicatricem tuberculo convaluit, & optima nunc quoque valetudine fruitur.

S C H O L I U M.

HAnc obſervationem doctis hominibus non tamquam novam, ſed ut minus frequentem exhibeo, quoniam multorum medicorum vita præterire poteſt antequam iſtiuſmodi vermes videre datum ſit. Quare Tyronibus ſi id forte contingeret, ne novum appareret, nonnulla de hujus vermis natura in medium afferam, celeberrimi Valliſnerii noſtri auctoritate ductus, qui ita ſcribit: (*a*) *Fra tutti i vermi del noſtro corpo merita ogni più eſatta ricerca, ogni eſame più diligente il verme Lato, poichè è il più intricato da deſcriverſi, il più diſputato fra' moderni, e antichi Scrittori, il più oſcuro, e mal conoſciuto,* non

(a) *T. I. pag.* 145.

non accordandoſi fra di loro , e giudicandolo alcuni diſperati di capirlo , inſin favoloſo. Vermis hic , ne a ſententia tanti Viri recedam , nihil revera eſt aliud quam vermium cucurbitinorum catena. Hunc jam ad examen revocavimus. Vermes cucurbitini ita denominantur , quia ſemini cucurbitæ , vel cucumeris ſimilem figuram repræſentant. Conſtant ex materia membranacea , alba , molli , lucida , flexibili , & lubrica. Quilibet horum in parte ſuperiore anguſtior , quam in inferiore apparet. Exeunt a latere ex ſuperiore parte prominentiæ duæ , quæ compreſſæ , totidem cornua emittunt , eaque microſcopio facile deteguntur , quibus cum poſteriore alterius vermis parte committuntur , in qua cavitates quædam inſertæ ſunt cornua hæc excipientes , & ſic vermium nexus efficitur , qui nudo etiam oculo manifeſtatur , inſitio enim cujuſque vermis clariſſima eſt. Partes eorum laterales rugoſæ ſunt , e quarum altera prominentia veluti erumpit , quam mamillarem Valliſnerius denominat , quæ pertuſa eſt , atque ab illius foramine ſæpe chylus albeſcens , modo limpida lympha , modo flava

pro-

promanat. Cum hæc mamilla omnibus inſit vermibus cucurbitinis, illam modo in dextero, modo in ſiniſtro latere ſitam in noſtro verme Lato obſervavimus, prout dextrorſum, vel ſiniſtrorſum vermes ſibi adhæſerant: quod argumentum maximum eſſe poteſt contra illos, qui vermem Latum unicum vermem, non cucurbitinorum catenam volunt. Celeberrimus Valliſnerius in muliere Judæa Finalenſi vermes illos cucurbitinos etiam ſolitarios excretos vidit, & vivos, qui omnimode illis catenam componentibus ſimiles erant, eoſque ſuper tabulam reptantes vidit. Multa ibidem de ſtructura eorum profert; eaque tanto auctore digna, quæ non affero, ne recoctam crambem exhibeam. Qua de cauſa quam plurima alia ſileo de vermium cæterorum, & etiam inſolitorum natura, qui per hominis alvum quandoque egeruntur, quoniam ſapientiſſimus Swietenius (*a*) præſtantiores obſervationes collegit. Satis ſit hæc attigiſſe, ut obſervationem minus frequentem exponerem.

Hi

(a) *T. VII. Comment.* §. 1336.

Hi ſunt morbi, qui hoc anno mihi tractandi occurrerunt, quique aliquam conſiderationem meriti ſunt, miſſis pluribus aliis fere nullius momenti. Hyems auſtrina, tepida, & imbribus ſemper plena fuit, idem ver omnino, & æſtatis principium. Hinc morbi ex lymphæ vitio potius, quam ſanguinis apparuerunt. Apoplexiæ ſeroſæ, febres rheumaticæ, meſentericæ lentæ, pleuritides, & peripneumoniæ nothæ frequentes viſæ ſunt. Recidivæ autem febres autumnales Chinam Chinæ vix audiebant, imo ad cachexiam properabant, quam ſal Aponenſis, de quo alibi, variis modis exhibitus una cum febribus ipſis mirifice ſuſtulit. Quare ex his ad morbos venereos devenimus.

CURATIONES ALIÆ

Mercurio ſublimato corrodenti, atque Hydrargiroſi peractæ.

QUamvis mercurii ſublimati *corroſivi* facultas in extirpandis venereis, aliiſque difficilibus morbis, nulla confirmatione indigeat, cum illa jam ſatis confirmata ſit a ſapientiſſimis Viris Boerhavio, Swietenio, Ahenio, Lochero, Prexelio; nihilominus hoc anno in Noſocomio varia pericula feci, ut ſi quis adhuc de ea dubitet, omnem dubitationem deponeret, cum prorſus feliciter illa mihi eveniſſe cognoverit. Sed antequam hæc pericula facere aggrederer, diligenter conſiderandum exiſtimavi, poſſet ne aliqua ratione Ægri corpus parari, quo promptius majuſque beneficium ab hoc remedio acciperet. Succurritque methodus quam Monſpelienſem ap-

pellant, ea ſcilicet, qua docti Monſpelienſes Medici utuntur, ubi inunctione mercuriali curationem inſtituunt. Venæ ſectionem igitur, blandam catharſim, balnea, decocta radic. cann. mont. addito copioſo lacte, quam maxime prodeſſe ſperavi. Neque ſpem meam eventus feſellit, ut curationes demonſtrabunt; quarum hiſtorias ſcribere aggredior.

Æ G R O T U S I.

STellius Baldimero Illyricus miles annorum 46. bilioſæ corporis conſtitutionis, brevis admodum ſtaturæ, ab impuro concubitu pluribus ante annis, gonorrhæam virulentam contraxit, quam cito remedia ſuſtulerunt. Paulo poſt ob novum concubitum bubo in inguine ei ſubortus eſt; duo item ulcuſcula prope balani frænulum, deinde dolores graves per omnes artus; a quibus omnibus anni ſpatio liberatus fuit, optimaque valetudine duodecim annos gaviſus eſt. Cum autem Venetiis eſſet poſt natationem, ſtatim tumor apparuit in mandibula

ſi-

ſiniſtra, omneſque artus gravibus doloribus affecti ſunt. Per duos annos remediis variis tractatus fuit ſudorem cientibus, & ex mercurio paratis. Evanuit tumor: at artuum dolores graviores adeo facti ſunt, ut greſſum impedirent, neque ullo umquam remedio leniri poſſent. Acceſſit febris *Ethico-Gallica*. Corpus totum fere conſumptum erat, & in fronte gummi celticum eminebat. Varios conſuluit Medicos, at hominis atrophici aſpectus omnes exterruit. Sub finem menſis Maii in Noſocomium ingreſſus eſt, eique ego medicinam hac ratione feci: ut balneum per horam unam quolibet mane ingrederetur præcepi: deinde ut quotidie libras ſex decoct. radic. cann. mont., duaſque lactis vaccini ſumeret: poſt duodecim dies balneo abſtineret: mercurio ſublimato *corroſivo* uti inciperet; octavam partem grani unius liquati in una ſpiritus vini uncia caperet tum mane, tum veſpere; addita copioſa potione ex eodem decocto cum lacte. Doſis aucta eſt ad tertiam grani partem, ſed granum unum in duabus ſpiritus vini unciis diſſolvebatur. Poſt aliquot dies glandula Parotis

M 2 dex-

dextera tumeſcere cæpit cum dolore, & copioſo ſalivæ fluxu. Intermiſſum igitur remedium eſt, donec ſymptomata illa evaneſcerent. Tum ad eamdem mercurii doſim Æger rediit. Rediit iterum Parotidis dolor, minori tamen cum inflatione. Perſtitit in uſu medicamenti uſque dum artuum dolores penitus ceſſarunt: quod contigit poſt ſumptum ſeptimum mercurii granum. Noſocomium reliquit, doloribus non modo, ſed & febre liberatus: nunc & nutritionem adeptus eſt bonam, & ſanus vivit. Præter copioſius ſputum, ſed ſine moleſtia, & copioſiorem urinam, nullæ aliæ ſeparationes obſervatæ ſunt.

SCHOLIUM.

EX hujus obſervationis hiſtoria veritas eruitur celeberrimorum virorum Aſtruc, Baglivii, Boerhavii, aliorumque, qui miaſma venereum per plures annos quandoque latere tradunt, donec ab aliqua procathartica cauſa in motum cieatur. An ne interim in membrana adi-

adipoſa ut Boerhavius putat, irretitum jacet? An ne natatio in mari ſolida criſpando, & perſpirationem impediendo in cauſa fuit, cur ſolida in motus aſymmetros verterentur, & inde miaſma a pinguedine extricatum, cumque lympha confuſum, ſimptomata venerea excitaret? Sanguinem huic Ægro non detraxi, neque purgationem adhibui, quia atrophia id prohibebat. Sed balnea, & emollientem, ac lenientem potionem præcepi, ut criſpata, ac velut arida ſolida emollirentur, & nimis ſtricta, & acris fluidorum compages laxaretur, atque demulceretur. Quo facto, minorem in ſolidis, & fluidis mercurius reſiſtentiam invenit, & morbum pro deſperato habitum, feliciter ſuſtulit.

ÆGROTUS II.

Miles alter Illyricus, Stephanus Warlich annorum 28., bilioſi corporis habitus, proceræ ſtaturæ, gonorrhæam virulentam paſſus eſt. Poſt menſes tres ei dolor ortus in ſcapula dextera: deinde ulcuſcula hinc inde per glandem

dem acceſſerunt, quæ ſine ullo remedio ad cicatricem pervenerunt. Paulo poſt febris acuta ingruit, quæ die quarto decimo perfecte judicata eſt. Ægro convaleſcente tria ulcuſcula in capite prope ſuturam ſagitalem, & alterum in fronte prope dexterum oculum, facta ſunt: eodem tempore apophyſim oſſis Ilii tumor occupavit magnitudinis *myriſticæ* nucis, moleſtus, quem atrox iſchiaticus dolor ſubſecutus, a quo inunctione quadam liberatus eſt. Huic dolor ſucceſſit in tarſo dexteri pedis totam tibiam etiam divexans, exoſtoſim minans. Quæ omnia mala per duos annos tulit. Deinde Venetiis in Noſocomium Incurabilium receptus eſt, & duobus integris menſibus, Aprilis, & Maii hypocauſto, & hydroticis decoctis tractatus: ſed fruſtra, imo pejus inde habuit, ut ipſe faſſus eſt, cum Junio menſe hoc Noſocomium ingrederetur. Tota frontis cutis rubris, & craſſis cruſtis conſperſa erat, articuli cubitorum tumefacti, impotentes ad motum quemcumque, ut ſymptoma pro Anchyloſi haberi poſſet: aderat febris lenta noctu recrudeſcens.

Eam

Eamdem omnino curationem quam in Stellio inſtitui. Modicam ſalivæ emiſſionem paſſus eſt, ſine ulla tamen oris exulceratione. Quapropter mercurii uſus vix intermiſſus fuit; imo eo perventum eſt, ut granum quotidie ſumeretur. Alvus numquam perturbata fuit, & urinæ copioſæ profluxerunt. Elapſis paucis diebus, cruſtæ frontis excidere cæperunt; quod ut citius perficeretur, linimento ex mercur. præcipit. albiſſ. ſcr. 1. ſpermat. cœti drach. 2., & ol. agmyd. dulc. optime ſubactis inungebantur. Coſmeticum hoc eſt valentiſſimum, citoque cruſtæ omnes a cute reſolutæ ſunt. Deinde etiam cubitorum articuli detumeſcere cæperunt, brachiaque in omnes plagas moveri. Mala hæc prorſus ſublata ſunt, ut & febris, & macies. Dolor vero, tarſique inflatio cum permanſiſſet, ad utrumque finiendum Aponenſibus balneis, lutoque uti illum voluimus; ſine ullo tamen profectu. Rediit ad Noſocomium, ut curatio perficeretur. Cumque circa maleolum internum fluctuantem materiam deprehendiſſem, ut cutis incideretur, præcepi. Parum ſanguinis, non aliud, prima vice effluxit,

quia

quia cutis perfecte ſauciata non fuit, quod quidem ſecunda vice contigit, & humor jus coactum referens, & luteus exiit. Vulnus digerentibus tractatum fuit; ſed nihil emittebat, donec ſpiritu anti-venereo fila imbuta apponerentur. Ulcus cito digeſtum eſt, & profundius factum, citoque ad cicatricem perductum. Dolores, & inflatio evanuerunt. Dum vero ambularet Aeger, pars affecta fere ſine dolore intumeſcebat. Faſciæ comprimentes parti admotæ ſunt; & liber menſe Novembris de Noſocomio deceſſit.

SCHOLIUM.

Miles hic id confirmavit, quod celeberrimus Aſtruc docet, ulcuſcula glandis apparentia, & evaneſcentia confirmatæ luis pathagnomonicum ſignum eſſe. Decocta hydrotica ex ligno ſancto, bilioſæ conſtitutionis homini damnum attulerant, ſanguinem commovendo nimis, ab eoque tenuiora expellendo, ut in ſimilibus caſibus fieri monuit præcit. Auctor. (*a*)

Ni-

(a) *Lib. IV. cap. VI.* §. *IX. pag.* 396.

Nihil igitur mirum ſi poſtea frontem, & cubitorum articulos virus invaſerit. Huic corpori tam ſicco neque ſanguis mitti, neque purgatio inſtitui debebat: ſed criſpata ſolida, & craſſiora, acrioraque facta fluida, laxantibus, diluentibus & demulcentibus ad meliorem ſtatum redigenda erant, ut inde facilius a mercurio ſubigi poſſent. Mercurii grana XIX. ſumpſit, quibus perfecte curatus eſt, ſuperſtite tantum maleolorum affectione. Ad quam tollendam conſilium clariſſimi Valſalvæ (*a*) exſecuti ſumus, qui in tali rerum ſtatu Bononienſem virum ſcalpello curavit, internis, externiſque remediis fruſtra adhibitis, & ab inflicto vulnere velut jus coactum, & luteum educi obſervavit inter integumenta, & ſubjectos tendines interpoſitum. Cujus Viri auctoritate permotus idem emanaturum fore coram diſcipulis prædicere auſus ſum. Cumque ulcus non digeri viderim, ad ſpiritum vini cum ſublimato *corroſivo* mercurio liquato confugi, qui a ſapientiſſimo Lochero anti-venereus ſpiritus dicitur, & revera admirandum effe-

(a) *Apud Morgagn. T. II. Epiſt. Anat. med.* 58. *artic.* 8.

ctum obſervavi. Articulorum dolores, & inflationes etiam poſt *Hydrargiroſim*, docente Aſtruc, (*a*) quandoque ſuperſunt, quamvis virus venereum fuerit extinctum, quod partis laxitati, vel cariei propter diuturnam aflictionem tribuendum videtur.

Ex hac hiſtoria etiam colligi poteſt, veneream luem numquam a natura, ſed tantum a ſpecificis remediis curari: nam acuta febris, qua ſanguis totus concuſſus fuit, quatuordecim dierum ſpatio judicata, morbum non imminuit, imo ſævius ipſe recruduit.

ÆGROTUS III.

JUvenis annorum 30. temperaturæ ſanguineo-cholericæ poſt gonorrhæam male curatam in iſchiaticum dolorem noctu valde ſævientem, incidit, quo claudicare cæpit. Menſe Maii meæ curationi traditus eſt. Sanguinem ſtatim detrahi juſſi, qui cruſtam croceam pollicis craſſitudine exhibuit. Poſtero die alvus caſſia

(a) *Lib. IV. de morb. vener. Cap. X. §. V. pag.* 456.

ſia ſubducta eſt. Balnea deinde, & decocta cum lacte præſcripſimus. Quarto a balneo die tertiana febris intermittens ſubrepſit. Cortice peruviano ſublata eſt, & ad balnea Æger rediit, quibus abſolutis, ſanguis denuo miſſus fuit, cujus cruſta tenuior, & minus firma apparuit. Caſſiam quoque iterum dedimus. Balneorum tempore a dolore iſchiatico admodum levatus eſt. Octo mercurii grana tantum ſumpſit, iiſque penitus convaluit, & nunc etiam perfecta ſanitate fruitur.

SCHOLIUM.

REcens hic morbus erat, ideo cito curatus fuit. Balnea dolorem imminuerunt, & quidem, docente Hippocrate, (*a*) iſchiaticus dolor, balneo, lacte, fomentis emollientibus, & purgatione ſolvitur. Quam proſit venæ ſectio in venereo morbo curando, hæc hiſtoria docet. Miaſma venereum ſolidis infenſum eſſe, flogoſes, tumores, ulcera, gummata, exoſtoſes, aper-

 tiſ-

(a) *Lib. de affect.*

tiſſime oſtendunt : fluidis autem , & lymphæ præcipue illud quoque nocere , præter adducta ſymptomata , ſanguis e vena miſſus plus minuſve craſſa obductus cruſta , pariter demonſtrat. Affirmare poſſem , idque diſcipulis meis ſemper oſtendi , numquam Ægrotanti venerea lue me ſanguinem miſiſſe , quin ille cruſtoſus appareret. Etiam clariſſimus Aſtruc aliquo modo hoc indicavit : at mihi cum conſtantiſſime reſponderit , inter ſigna certiora luis , ut poſtea apparebit , hanc cruſtam reponere non verebor. Propterea venereæ luis curatio a phlebotomia incipienda eſt , niſi aliquid prohibeat , ut in primis duobus Ægrotantibus.

A ſola miſſione ſanguinis , & eo ipſo tempore quo celebratur , poteſt univerſa quantitas , quæ relinquitur , in vaſis intime tota dimoveri , rareſcere : ut conſtat ex Laurentio Bellini (*a*) : imminuta ſanguinis copia, ſolida veluti reviviſcunt, liberata vel a nimio pondere , vel a majori ſanguinis viſciditare. Hinc validius conteritur, atque exſolvitur reliquus ſanguis , & præcipue quia detracta quan-

(a) *Prop. 3. de Sang. miſſ.*

quantitas amplius non reſiſtit. Hinc venæ ſectione derivatio, revulſio, pulſus compoſitio obtinetur. Remedia omnia anti-venerea non ne ad ſanguinem exſolvendum concurrunt? Particularum figura ipſorum, & motus ad trutinam revocentur. Extra dubium eſt, corpora, quo plus materiæ continent ſub eodem volumine, gradibus motus majoribus indigere, cum gradus motus materiæ quantitati proportionales ſint. Detracta igitur ſanguinis copia, eadem remanente vi cordis impellente, & quandoque etiam majori facta, ut in plethoricis obſervatur, reliqua maſſa celerius movebitur, ut paulo poſt venæ ſectionem pulſus celeriores, majores, & fortiores oſtendunt. Ex hoc accelerato motu ſanguinis particulæ inter conicos arteriarum parietes, & decreſcentias vaſorum ad varios angulos deflectentium magis collidentur, & earum partium nexus disjicietur. Quod quidem facilius accidet ob imminutam copiam, quæ reliquo ſanguini non amplius reſiſtit. Lex Hydroſtatica eſt: fluida eo uberius concurrere, ubi minorem reſiſtentiam inveniunt. Pertuſa igitur vena, & copia ſanguinis imminuta, ſanguis ar-

te-

teriæ eidem venæ reſpondentis, celerius in eamdem venam fluet, tum propter particularum reſiſtentiam imminutam, tum propter univerſalem preſſionem demptam, qua fluida æque omnia vaſorum latera urgent, & præcipue vaſis fundum in ratione altitudinis. Hoc motu totus arteriarum ſanguis dimovebitur, cum unda prima ſecundæ, & ſic ſucceſſive, minus reſiſtat. Quapropter dempta quantitate, imminutis reſiſtentiis, & motu accelerato, globuli ſanguinei, & lymphatici disjungentur magis, multiplicatiſque particulis, & earum interſtitiis, maſſa tota, ſaltem per aliquod tempus, rareſcet.

His præmiſſis, venerei morbi curatio in eo conſiſtit, ut nimis ſtricti lymphæ nexus laxentur, ſeparentur, in minores globulos redigantur, ut inde per minora vaſa diſcurrere poſſint, ac miaſma iiſdem irretitum per datas vias eliminari. Venæ ſectio hoc opus ſua, quam inducit, rarefactione incipit, balnea vero, & decocta copioſa cum lacte id perficiunt. Ex Hygrometris docemur, cutis fibras aqua laxari. Ex Anatomicis ſcimus nervos cutis cum omni-

bus

bus fere corporis nervis, ut Vatheri præparatio oſtendit, communicare. Laxatis nervis igitur laxantur vaſa, & fluida minus preſſa rareſcunt. Addamus, balneo aquam per bibaces cutis venas intrare in ſanguinem, ipſum diluere, ac temperare magis, quia ſuccis primarum viarum, ut ea quæ potione ſumitur, imbuta non eſt. Hæc aqua ſimul cum illa per os intruſa cum ſanguine mixta, ſuis, quibus pollet, ſphæricis particulis tenuibus inter poroſitates globulorum ſanguinis miſſione copioſiores, & majores factas, ingreditur, ſuaque preſſione, & vi laxante nexus emollit, atque disjicit. Neque ob aliam rationem Boerhavius ante mercurii exhibitionem præcipit, ut Ægrotans multum bibat, ac veluti Hydropicus fiat.

Hac præparationis methodo ſanguinis compagem laxari indubitatum eſt, experientia docente; cum in noſtro Ægrotante ſecunda ſanguinis miſſio cruſtam minus craſſam, minuſque firmam exhibuerit. Hæc igitur præparatio utilis, imo neceſſaria eſt, ante mercurii ſublimati *corroſivi* uſum. Mercurius hic a ſalibus acidis compe-

pe-

penetratus eſt : ergo agit ſtimulando, & inprimis nerveas fibrillas, quæ ſi ab aqua non defendantur, etiam lacerentur. Armatus acidis partibus, velut totidem cuneis, agit in ſolida, & in fluida. Ut cuneus agat debet impelli, cuſpidemque proportionatam poris corporis ſolvendi poſſidere; & ut illius impetus partium reſiſtentiam vincat, proportionatum impulſum habere debet. Venæ ſectiones, balnea, decocta cum lacte, ex allatis rationibus, ſolida laxant, & fluida rarefaciunt : ergo hæc facilius a vi mercurii ſolventur. Quoniam vero mercurius quilibet ſalibus compenetratus iiſdem tandem ſpoliatur, & priſtinam figuram adipiſcitur, agendo & reagendo cum hiſce ſalibus craſſa diſcindit, eaque ſalibus a mercurio liberatis ſua natura diureticis, irretita, & graviora facta per urinæ vias præcipitantur, ut noſtris in omnibus Ægrotantibus urinas cum ſedimento levi, & æquali obſervavimus. Elapſis temporibus xxx. vel xl. mercurii granis ad curandum venereum morbum opus erat; præmiſſa hac methodo, pauciora ſufficiunt. Ægrotans hic octo tantum grana

na mercurii conſumpſit. Id beneficium non ne a præparationis methodo petendum? Ita opinor. Nonnulli qui mercurio ſublimato *corroſivo* curari non potuerunt, fortaſſe curati eſſent, ſi antea noſtra methodo præparati fuiſſent. Suſpicari licet tantam in illorum fluidis craſſitiem, in ſolidis irritamentum tantum fuiſſe, ut mercurii actio hinc impediretur (eoque magis ſi doſis mercurii aucta ſit) ex qua crabrones magis irritarentur. Hinc recte de hoc medicamento Boerhavius exclamat: *At prudenter a prudente Medico. Abſtine, ſi methodum neſcis.*

ÆGROTUS IV.

JUvenis annorum 25. corporis ſuccoſi, in navigatione exercitatus poſt gonorrhæam male curatam muſculorum humerorum, & ſcapularum dolore noctu inprimis torqueri cæpit, maximeque in articulis membrorum inferiorum. Morbus hic recens erat, ideoque prædixi diſcipulis meis hunc Ægrotantem brevi ſanari poſſe, præſertim cum in ſecunda venæ ſectio-

ne cruſtam minus craſſam, minuſque firmam inveniſſem. Eadem omnino methodo ac tertius Ægrotans tractatus fuit. Septem mercurii grana ſumpſit, a quibus nulla alia excretio contigit, præterquam copioſæ urinæ. In Noſocomium claudicans, & artubus ſuperioribus atractis venit; de eodem vero ab omni dolore fere liber deceſſit, fortaſſe nimis cito, ut mihi viſus eſt. Præcepi ut ſolitos labores ſuſciperet, & quidem poſtridie remigantem forte vidi.

SCHOLIUM.

Continuatum uſum mercurii nullum ſymptoma impedivit. Celeriter juvenis hic ſanatus eſt: anne quod miaſma venereum oleoſam tantum lympham membranæ cellularis muſculorum infecerit? Id credibile videtur. Si intimius in perioſtia, in glandulas Haverſianas articulorum penetraſſet, majori mercurii doſi, longiorique tempore indiguiſſet. Et fortaſſe nihilominus indiguiſſet, niſi præparatio noſtra præmiſſa fuiſſet. Noſtram appello, quia a nul-

lo

lo eorum, qui ſublimatum *corroſivum* extollunt, eam propoſitam video, quinimo Locher ita loquitur (*a*) *prædiſpoſitio ad curam haud requiritur, niſi in iis qui in primis viis ſaburram gerunt*, *&* *hos primo purgare ſoleo*; dolor tamen aliquis, quamvis levis, circa maleolum ſiniſtri pedis permanſit, quem omnino medicamentum ſuſtuliſſet, ſi Æger mihi paruiſſet longiorem curationem imperanti. Quapropter recordatus eorum, quæ celeberrimus Aſtruc obſervavit, corpora exercitata, venereis ſymptomatibus minus torqueri, illi, cui vires corporis non deerant, ut ſeſe exerceret, præcepi. Sperabam ſic adaucto corporis motu, reliquum adhuc in ſanguine mercurium opus ſuum perfecturum. Nam quamvis mercurii uſus intermiſſus ſit, ſuam tamen actionem exerere pergit, quia non ſtatim a corpore eliminatur. Imo quandoque in eodem diutius immoratur ſine ulla operatione, donec ab aliqua cauſa extricetur, ac in motum cieatur, ut opportuniori loco dicemus. Poſt paucos dies hunc juvenem inveni ſe ab omni dolo-

(a) *In obſerv. pract. circa luem vener. cap. 7. pag. 14.*

re liberum profitentem. Mirum quam paucis diebus ſub laboribus renutritus fuerit! Signum optimæ valetudinis, qua nunc etiam fruitur.

ÆGROTUS V.

MIles bilioſa temperatura præditus a nono decimo ætatis ſuæ anno uſque ad 36., cum impuris mulieribus ſemper concubuit, varias gonorrhæas virulentas, tumores ſtrumoſos, bubones, & porra nactus, nullam eradicantem curationem iniit. Quin rurſus cum mulieribus infectis congreſſus, ulcera, & dolores artuum ita ſævos expertus eſt, ut cum veſtimenta induere vellet, aliena ope indigeret. Ulcus brevi ſanatum eſt. Poſt xv. diem porra, & ulcera, *raghades* dicta, circa anum apparuerunt, quibus dolores artuum omnino diſcuti viſi ſunt. Ulcera conſolidata tandem fuerunt: ſed in gonorrhæam rurſus incidit, ad quam curandam in Noſocomium Sancti Servoli Venetiarum ſe tranſtulit. Ibi caſſia cum mercurio dulci ei propinata fuit: ſed ſtatim parotis glandula, & tume-

meſieri, & dolere cæpit. Scapulæ, & pedes doloribus quoque correpti ſunt, & veluti fungoſa excreſcentia quædam in pharinge deglutitionem impediens, in conſpectum venit. Ab illo in aliud Incurabilium Noſocomium migravit. Ubi ſecundo die omnes articuli tumefacti ſunt; at quinto die detumuerunt omnes, pharinxque ad ſtatum fere naturalem rediit. In ſcapula tamen dolor contumax fuit, ad quem tollendum hypochauſtum Æger expertus eſt: ſed infelici ſucceſſu, quia dolores per omnes artus recruduerunt, pharinxque denuo affecta eſt, febris acceſſit acuta, tuſſis, difficultas reſpirandi, nervorumque omnium tremores cum convulſione, ipſeque pulſus tremulus ſemper apparuit. In hoc peſſimo ſtatu menſe Junio in Noſocomium Patavinum ingreſſus eſt, glandulis hinc inde per collum & brachia induratis apparentibus, ut caput vertere non poſſet.

Sanguis prima vice huic detractus cruſtam ſatis firmam habebat, ut & ille qui ſecunda vice detractus eſt. Poſt balneorum uſum inunctus fuit unguento cum mercurio, methodo Monſpelien-

pienſi. Unguentum conſtabat ex duabus adipis, & tertia mercurii parte. Hujus drachmis duabus pes ſiniſter ad maleolos inunctus eſt, præmiſſis frictionibus, ut pars calefieret, iiſdemque continuatis donec totum linimentum abſumeretur, atque inuncta pars pene ſicca appareret. Tertio die idem factum in dextero pede deinde in cruribus, & genubus, alternis diebus. Facta ſexta inunctione *ptyaliſmus* apparuit cum moleſtia in pharinge. Inunctione intermiſſa, præſcriptaque caſſia cum diagridio, cito ſalivæ fluxus ſublatus eſt. Tum inunctio femori adhibita prope os Iſchii; tertio die, ſiniſtro quoque: deinceps ordine carpis, cubitis, humeris. Interea copioſa decocta cum lacte potui dabantur. Venæ ſectione, balneis, & decoctis febris præcipue, & ſymptomata reliqua moderata ſunt, inunctionique aditum aperuerunt. Induratio glandularum colli, faucium affectus, difficilis reſpiratio, & febris, inunctionibus jam peractis, fere omnia deceſſerunt: nam dolor, poplitem, totumque genu ſiniſtrum obſidens, perſeveravit. Ad quem tollendum partes illas

eo-

eodem unguento ad drachmas tres iterum , & ſæpius inungi curavimus , & unc. IV. linimenti fuerunt conſumptæ. Perſeverante febricula ab hoc remedio deſiſtendum fuit , non omiſſis tamen uberioribus decoctis cum lacte. Ægrotans cum cæteros mercurio ſublimato *corroſivo* citiſſime levatos viderit , medicamentum hoc a me flagitare non deſtitit ; donec ei permiſerim , ut grani dimidium in quatuor portiones diviſum ſumeret. At ecce , febris inde aucta eſt , & convulſiones ſubortæ. Nihilominus granum ſumere voluit , cum nova mala cito quieviſſent ; medicamentum iterum ſumptum , iterum ſymptomata illa excitavit , eaque omnino ceſſarunt omiſſo medicamento. Decoctum igitur analepticum ex ſmilace aſpera & carne vitulina cum pilul. ex ſcrup. med. Chin. Chin. gr. VI. cinnab. nat. pp. , & ſyrup. pæon. per menſem , & amplius ſumendum præſcripſimus ad nervos reficiendos ; inde non parum levatus eſt ; & melius nutriri cæpit. Lac ei bibendum præcepimus ; quo vires magis , & nutritio inſtauratæ ſunt. Sub Auguſti finem liber omnino de Noſocomio deceſſit.

SCHO-

SCHOLIUM.

IN tanto ſymptomatum numero, quæ luem comitabantur in hoc Ægrotante, difficilius illi ſanitatem reſtitutam iri, protinus denunciavi. Quantum hypochauſta & hydrotica ligna huic bilioſæ conſtitutioni infenſa fuerint, cum ex nervis quoque laboraret, majorque humorum acrimonia quam viſciditas eſſet, ex hiſtoria colligi poteſt. Morbo igitur inde exaſperato, tanto difficilior curatio fuit, quanto tutius ſublimato mercurio inſtituendam non eſſe putavi ob vitium nervorum, ne ii ab acri medicamento magis læderentur. Quam meam ſuſpicionem res ipſa confirmavit, cum mercurius ſublimatus *corroſivus* parciſſima etiam doſi poſt inunctiones exhibitus, turbas illas excitaverit. Quare ad inunctionem devenimus, ut mercurius nullo ſale armatus, ſphærica ſua figura tantum, ſuo pondere, ſuoque motu vim in ſolida, & fluida exereret. In his caſibus hæc tutior methodus eſt, ne Ægrotantium vita in diſcrimen addu-

ca-

catur. Nec obeſt quod interdum non penitus ſanentur: ſunt enim venerei morbi, vel quidam eorum gradus, qui unica inunctione tolli non poſſunt; & alii ſunt qui nullæ curationi obediunt, ſapientibus etiam Viris Aſtruc, & de Haen (*a*) id teſtantibus. Nonne Uthenius fuit novies inunctus? Nonne quandoque tres vel quatuor inunctiones inutiles ſunt? Id in pluribus contigit, quos ego noviſſime ſanavi; ut ex hac mearum Curationum hiſtoria manifeſtum eſt. Quandoque humorum viſciditas talis eſt, vel adeo in intimis corporis partibus impacta, ut ordinaria remedii portione imminui quidem, ſed penitus ſubigi non poſſit. Quo in caſu juvat ſinere, ut natura analepticis remediis inſtauretur, & diluentibus reliqua viſciditas, & acrimonia attenuetur, atque demulceatur. Ita enim morbus ſæpe curationi opportunior evadit. Contra, ſi mercurii, & decoctorum uſus continuetur, diflatis tenuioribus, craſſiora, & acriora magis urgentur, & ſub remediorum pondere Ægrotantes magis languent. Quandoque vero venereum

 miaſ-

(a) *Cap. XII. de varior. medic. effic. pag.* 94.

miaſma remediis ſublatum eſt, quamvis aliqua ſymptomata ſuperſint, (*a*) quæ acrimoniæ potius humorum, vel ſolidorum laxitati, quam virulentiæ tribuenda videntur. Juvat igitur utroque modo remedium intermittere, analeptica, & lactea adhibere, quibus ſi tollantur ſymptomata, ut in noſtro Ægrotante, & in illo a celeberrimo Ahenio curato, (*b*) evenit, morbus jam ſublatus eſt: ſi non tollantur, moderationem talem aquirunt, ut poſtea opportunior curatio evadat.

ÆGROTUS VI.

VIr annorum 36. temperatura ipſe quoque biliosa, poſt gonorrhæam male curatam, in luem incidit, ut dolores per omnes artus, noctu præſertim ſævientes, oſtenderunt. Ei æſtate anni 1753. in Noſocomium Patavinum ingreſſo, mercurio dulci *ptyaliſmus* excitatus eſt dies XXXII. Ab omnibus fere doloribus liber fuit ſu-

(a) *Loco cit. Lib. IV. Cap. X. XI.*
(b) *Loco ſupra citat.*

ſuperſtite tantum dolore acuto in oſſe calcanei, qui poſt tres menſes ſine ullo remedio ceſſavit. Per annos tres ſanus permanſit: tum nova gonorrhæa ſuſcepta, nullaque adhibita curatione, dolores fere per omnes articulos oborti, & præcipue in perioſtio oſſis femoris, & humeri ſiniſtri, qui noctu ita diri facti ſunt, ut per duos annos integros ſomnum, niſi vino obrutus, capere non poſſet. Menſe Junio a me curationem popoſcit, cujus ex venæ ſectione initium duxi. Extractus ſanguis cruſta firma obductus apparuit: blanda inde purgatio inſtituta eſt, quam balnea, & potio decocti de more ſubſecuta ſunt. Quibus peractis denuo ſanguis miſſus eſt, qui non multum a primo diſſimilis. Quarto tamen die ab incæptis balneis, noctu abſque mero dormire cæpit. Noſtra præparatione abſoluta, mercurium ſublimatum *corroſivum*, ut cæteris, dedimus, & cito ad granum quotidie præbendum devenimus, decedentibus ſymptomatibus omnibus ſic, ut granis ſexdecim ſumptis perfecte convaluerit. Aliquis ſalivæ fluxus apparuit, qui numquam remedii uſum inter-

termittere coegit: copioſæ etiam profluxerunt urinæ.

SCHOLIUM.

Confirmatam hanc luem fuiſſe, phœnomena omnia apertiſſime demonſtrant. Mitiorem factam mercurio dulci, non ſublatam, calcanei dolor tres menſes perſiſtens, ſignificavit, qui labore & exercitatione corporis evaneſcere viſus eſt: ſed latebat miaſma pinguedine irretitum, quod nova gonorrhæa ſuſcitavit, & auxit. Vetuſtas morbi, & vis ejus majorem mercurii doſim poſtulavit, eamque neceſſariam eſſe indicavit ſanguis ſecunda vice detractus, cruſtam non adeo mollem, ac tenuem, ut in aliis Ægrotis, de quibus dictum eſt, demonſtrans. Balnea diutius continuata fortaſſe ſanguinem magis præparaviſſent: de quorum efficacia ſequentibus annis plura pericula faciam. Interim certa obſervatione conſtat, ſi ſanguis iterum emiſſus cruſtam molliorem, tenuioremque non habeat, difficiliorem curationem futuram; ideo-

que

que majorem ſublimati quantitatem ad eam perficiendam requiri.

ÆGROTUS VII.

JOannes N. N. Patavinus annorum 44., corporis habitu ſanguineo-cholerico in gonorrhæam virulentam ſæpe incurrit; noviſſime etiam anno 1751. ex qua male draſticis pharmacis curata, puſtulæ per totam cutem, doloreſque in brachiis orti ſunt. Dolores iſti repellentibus remediis depulſi cum cutis purgatione, articulum oſſis Iſchii invaſerunt. Junio menſe ejuſdem anni in Noſocomium Patavinum venit, ut curaretur, mercurioque dulci in eo *ptyaliſmus* copioſus excitatus eſt, quem ægerrime triginta dies pertulit. Omnia ſymptomata evanuerunt, præter dolorem Achillis tendinem obſidentem, ſed is quoque poſt tres menſes cerato aliquo ex mercurio diſcuſſus eſt. Annos undecim liber ab omni venereo ſymptomate remanſit, donec vehementer quodam die ambulans dolorem ſenſit in eodem Achillis tendine. Quin-

que

que menſibus poſt, dolores præterea omnes artus, ſcapulas, totumque dorſum invaſerunt, quos per annos duos tolleravit. Defeſſus tandem in Noſocomium intravit menſe Junio gonorrhæa etiamdum fluente. Curatio hac ratione inſtituta eſt. Bis ſanguis detractus. Prima miſſio cruſtam firmiſſimam exhibuit, altera valde mollem. Ex quo diſcipulis meis prædixi, fore ut morbus facile tolleretur: & revera ſublatus eſt. Sublimatus *corroſivus* datus eſt primo quarta grani parte quotidie in duas portiones diviſa, unde *ptyaliſmus* motus eſt, ſed ſine moleſtia. Intermiſſum tamen aliquot diebus medicamentum eſt: deinde cum rurſus ſumeret, jamque ad granum quintum proceſſiſſet, ſemel atque iterum illud evomuit. Inde ſublimatum ſyrupo violaceo, loco ſpiritus vini, temperavimus. Decem granis curatio abſoluta eſt per lenem ſalivæ fluxum, copioſaſque urinas. Fluxus quoque gonorrhϾ ſubſtitit.

SCHO-

SCHOLIUM.

CAſus hic occaſionem obtulit, ut quædam monita diſcipulis meis dare poſſem. Illud primum, gonorrhæas purgantibus draſticis minime tractandas eſſe, ne lues facilius oriatur. Gonorrhæa nonne morbus uretræ inflammatorius eſt, deinde abſceſſum inducens? Sed in ſuppurationibus purgationes ſuſpectæ. Aperiendæ itaque ſunt, diluendæ, abſtergendæ, ad cicatricem perducendæ. Purgatio id certe non perficit, & ſi quandoque perficeret, malo plerumque omine perficeret. Ex Hydroſtaticis docemur, fluida eo facilius fluere, ubi minorem reſiſtentiam inveniunt: quare in abſceſſus apertos uberius fluunt, quia vaſa lacerata ea prompte emittunt. Hinc puris copia obſervatur, quod ſæpe non purum pus eſt, ſed cum fluentibus humoribus mixtum. Adhibitis purgantibus affluxus humorum ad glandulas inteſtinales, inteſtinorumque arterias exhalantes, invitantur, iiſdem acriter irritatis, atque (ſi purgantia draſti-

ca ſint) etiam exulceratis , ut mucus & ſanguis per alvum ſæpe demiſſi , oſtendunt. Minor igitur humorum copia per vaſa in abſceſſu hiantia , feretur. Ex minori humorum copia vaſa ipſa , & præcipue venæ cujuſcumque generis magis contractæ , miaſma in uretra adhuc latens abſorbebunt , ſanguini tradent , unde luis initium. In abſceſſibus pulmonum , aliorumque viſcerum dolemus valde , niſi cito dirumpantur , quia pus collectum acrius fit , tenuius , reabſorbetur , & febrim purulentam gignit. Ulcera igitur cito abſtergenda ſunt per abſceſſus vias , ſi fieri poteſt , ut in gonorrhæa ; imo valde commodum diluentibus , & emollientibus copioſis propinatis , quibus etiam temperatur acrimonia urinæ per uretram tranſituræ. Sola aqua largiter epota , emulſiones ex ſeminibus frigidis , decocta ex malva , gonorrhæas tollunt. Monitum alterum eſt Balſamica nimis propere danda non eſſe. Numquam illa danda ſunt niſi bene abſterſo ulcere , quod a dyſuria evaneſcente , a pure albo , æquali , & modico , & a doloris abſentia , dignoſcitur ; alias pars rurſus

in-

inflammatur , ulcus calloſum fit , & lues facile inſeritur. Idem periculum oritur ab injectionibus , quæ vel partem affectam inflammant , vel adſtringunt , ſic ut pus cohibeatur. In Ægro noſtro morbus recens viſus eſt tolli *ptyaliſmo* , ſed revera latuit per undecim annos , ut latuit in Stellio. In utriſque demum a cauſa externa ſuſcitatus eſt , & in Stellio quidem natatione , in hoc vehementi labore.

ÆGROTUS VIII.

RUſticus quidam natus ruri , vulgo *Bevador* , in Agro Patavino , corporis habitus bilioſi , gonorrhæam virulentam anno 1747. contraxit. Hanc neglexit , quamvis per quadraginta dies ſtranguriam illi valde moleſtam afferret. Paullo poſt laſſitudinem totius corporis expertus eſt , illiuſque corporis conſtitutio , quam bilioſam diximus , cachetica facta eſt. Dolores quoque per omnes fere articulationes orti ſunt , noctu præcipue ſævientes. Hæc mala per totum autumnum , & hyemem paſſus , adventante vere in Noſoco-

Q mium

mium Incurabilium Venetiarum receptus eſt, ibique hypocauſto, & guaiaci decocto, morbo liberari viſus eſt, ſanuſque quatuordecim annos vixit. At menſe Septembri anni 1763. ei acris dolor ſubortus eſt in dextero genu ſub rotula, qui paullatim per totum crus diffuſum, eidem cruri exoſtoſim intulit ſpinam tibiæ occupantem. Idemque dolor ad crus quoque ſiniſtrum & ad artus ſuperiores pertranſiit. Menſe Junio anni 1765. in Noſocomium Patavinum ſe contulit.

Statim ſanguis miſſus fuit, qui cruſta valde firma obductus apparuit. Caſſia deinde ei data; tum quotidie in balneum immiſſus per duodecim dies. Pertuſa iterum vena, ſanguis elicitus cruſtam æque firmam ac prima vice exhibuit. Signum hoc me movit, ut præſagirem hunc Ægrotantem majori mercurii doſi indigere, & longiorem illius curationem futuram. Mercurii ſublimati *corroſivi* uſum ſolita methodo incepit. Vix tria ſublimati *corroſivi* grana in multas portiones diviſa ſumpſerat, cum parotis glandula tumere, & dolere cœpit, & ſalivæ fluxum

xum promovit. Dolor in ore magnus erat, & ſputum copioſum, ſed tenuis materiæ. Caſſiam cum Diagridio dedi, ut ventris purgatio *ptyaliſmum* imminueret. Quod intra paucos dies factum eſt: itaque Æger ad mercurii uſum rediit. Poſt aliquot dies prædicta ſymptomata rurſus ſævierunt: remedium igitur intermiſimus, idque ter fecimus. Duodecim mercurii grana jam ſumpſerat, neque dolores quidquam remiſerant. Quæ res inſolita in hanc ſententiam me adduxit, rurſus balnea adhibenda eſſe. Ita factum duodecim dies, ſimulque potionem emollientis decocti largiter ſumpſit. Poſtea mercurius ſublimatus *corroſivus* multis portionibus datus eſt ad grana octo, cujus vis multo efficacior fuit. Dolores paullatim mitigabantur: ſed non imminuebatur exoſtoſis. Ideo inunctionem ex unguento cum mercurio parti affectæ præſcripſi, hiſque auxiliis ſanitati reſtitutus eſt, relicta tantum in crure laxitate, & exoſtoſi, ob quam, erecto Ægro perſiſtente, vel deambulante, locus, in quo exoſtoſis aderat, ſine dolore intumeſcebat. Corroborantia fomenta ex vino roris marini, corticis

balauſtiorum, atque ſimilium eum ita juverunt, ut crus priſtinum, totumque robur acquiſiverit.

SCHOLIUM.

HIc Ægrotans nobis exhibere videtur certum ſignum ex ſanguinis cruſta, facilioris vel difficilioris morbi. Docet etiam quam rationi conſentanea ſit methodus noſtræ præparationis. Sumpto decimo mercurii grano Æger nihil melius ſe habuit, cum cæteros fere a tertio grano melius habentes viderim. Anne lymphæ viſciditas tanta fuit ut a balneis, & decoctis non ſatis attenuata, mercurii vi obſtiterit? Id certe confirmare videtur utilitas, quam repetita balnea attulerunt. An *ptyaliſmus* copioſus præter ſolitum ex eadem cauſa deducendus? Sputum profluens unum, vel alterum diem excitari non raro obſervavi, & clariſſimus quoque Vir de Haen obſervavit, idque ſapientiſſimus Locher tam rarum dixit, ut in millenis Ægrotantibus vix unquam viderit: & ſi aliquod ſucceſſerit illis contigiſſe, qui aliud remedium ex mercu-

rio

rio prius ſumpſerint ; cumque tantorum virorum dicta ſumma veneratione colam , in hoc noſtro Ægro , qui mercurium numquam expertus eſt , ſputum tam copioſum a præparationis noſtræ methodo , ni fallor , petendum judico: quod & Cœli diverſitati tribui fortaſſe poteſt: vel maxime quia , primis etiam temporibus , quibus hoc remedium ſine ulla corporum præparatione dedi , *ptyaliſmum* aliquem ab eodem promotum quandoque vidi , ut legere eſt in Obſervationibus in calce hujus operis. Quandoque a prima mercurii portione ſumpta , ſputum non leve natum vidi , ſed illud potius a contractione ſolidorum , & ab irritatione ſtomachi , atque inteſtinorum , quam a mercurio intra ſanguinem agentem , deduxi. Hippocrates melancholicos ſputatores appellat , quia irritatis hypochondriorum vaſis æqualitas circulationis ſanguinis tollitur , & uberiori copia ad ſuperiora fertur. In corporibus fibræ mobilis , atque irritabilis nonne mercurius , qua pollet irritandi vi , idem efficere poteſt ? Remanſit in hoc noſtro Ægrotante exoſtoſis cruris ; nec mirum , cum

quo-

quoties legitima illa ſit, oſſis ſubſtantiam afficiens, docente Aſtruc (*a*) neque hydrargiroſi fere umquam tolli poſſit.

ÆGROTUS IX.

NAtalis N. N. ſanguineo-linioſæ conſtitutionis, proceræ ſtaturæ, decimo ſeptimo ætatis ſuæ anno bubonem ex impura venere contraxit, qui a Chirurgo optime ſanatus eſt. Poſt duos annos a gonorrhæa virulenta æque bene liberatus eſt. Elapſis quinque iterum annis venereum bubonem contraxit, quo ſuppurato, per paucos dies pus effluxit. Paulo poſt dolores ſuborti ſunt in genubus, tarſoque ſiniſtri pedis, & in ſcapulis. Ubi ambulabat, aut erectus permanebat, crus ſiniſtrum intumeſcebat. Vere adveniente in Noſocomio Incurabilium Venetiarum hypocauſto, & decoctis tractatus fuit; quibus remediis dolores mitigati ſunt, at non extincti. Exiit igitur valetudinarius a Noſocomio illo: & ut ſalutem totam recuperaret, decocta ex

(a) *Lib. IV. cap. X. de morb. vener.* §. *V.*

ex ſarſ. paril. una cum quibuſdam ex mercurio pilulis ſumpſit. Dolores mitigati ſunt, ſuperſtite tamen illo ſæviori in genu cum inflatione. Tribus annis poſt rurſus in virulentam incidit gonorrhæam, quæ duobus purgantibus *draſticis* ſubſtitit, ſed ſtatim dolores recruduerunt, & ſimul exiguum tuberculum ortum eſt circa maleolum, quod cum unguibus ſcalperet, in ulcus apertum eſt, & intra menſes octo ſinuoſum factum; unde dolores imminui viſi ſunt. Deinde alia tubercula orta ſunt circa maleolum, & in pedis planta ichorem effundentia, greſſumque prohibentia. Spina oſſis tibiæ dura, & tumefacta apparuit. Hiſce malis cruciatus venit in Noſocomium Patavinum ut curaretur.

Sanguis ſemel, atque iterum miſſus eſt; primum cum cruſta ſatis craſſa, deinde cum tenuiori. Quinto die a balneis inceptis tubercula velut exſiccata viſa ſunt, & greſſus liberior factus. Mercurius ſolita methodo datus fuit omnino ad grana XIX. Sub finem ventris tormina cum ſanguineis dejectionibus inciderunt, quibus Filius meus (ego enim forte aberam) caſſia cum pul-

pulpa tamarindorum, clyſtere ex lacte cum ovi vitello, & electuario Diaſc. Frac. (mercurio intermiſſo) citiſſime occurrit. Quinto die ab ſumpto mercurio tubercula exſiccari cœperunt, & vix quidquam humoris emittebant. Noſocomium reliquit perfecte ſanatus. Nihilominus cum adſtringentia calceamenta induerit, aliquid in eodem pede poſtea paſſus eſt. Mihi placet vera ſcribere, nec Mundo imponere.

SCHOLIUM.

DOcet caſus hic quam neceſſarium ſit bubones cito ſuppurari, diutiuſque apertos ſervari; ex ſecundo enim bubone nimis cito ſanato, luem ortam eſſe credibile eſt. Ac ratio illa bubones curandi per reſolutionem, quam plures adhibent, non adeo tuta mihi videtur. Cæteroquin neque altera eos curandi methodus mihi arridet, per reſolutionem purgantibus pharmacis cum mercurio peractam; niſi forte ex mercurio præparata adhibeantur, ſecundum methodum celeberrimi Aſtruc, (*a*) qui præter purgantia eadem præ-

(a) *Lib. III. de morb. vener. cap. V. pag. 258.*

præſcribit, vel per inunctionem, vel per os ſumpta, ut in ſanguinem inſinuata, quidquid per purgantia miaſmatis in eumdem propulſum fuerit, illud cicurent, atque corrigant. Tertia etiam methodus eſt qua bubonem venereum ferro extirpant, ſed ea periculi plena, ideoque ab omnibus fere improbata. Nonne in vaſorum lymphaticorum obſtructorum detumeſcentia miaſma lymphæ irretitum per eaſdem venas facilius repere poteſt? Quod minus timeri debet in cruda humorum ſtaſi, & ſubſequente ſpaſmate *inflammatorio*. Frequentius certe luem ſubſequutam eſſe bubones hac methodo tractatos, quam illorum ſuppurationem, obſervavi. Ex gonorrhæa ultima hujus Ægrotantis purgantibus tractata, lues altiores radices egit. In bubone igitur, & gonorrhæa malus humor per affectam partem educendus eſt. Exſiccatio tuberculorum die quinto a balnei uſu utilitatem methodi noſtræ præparationis confirmare videtur. Quinto die a mercurio ſumpto tubercula magis exſiccata ſunt. Non opus eſt, ut hujus remedii vim eximiam in extirpandis cutaneis

morbis prædicem, quia id omnes norunt. Dyſenteria quæ prope finem morbi accidit, aliquo purgante paſſim adhibito, ut nonnulli faciunt, fortaſſe vitari potuiſſet. At cum mercurius ſublimatus non certam habeat rationem in morboſo veneno expellendo, & agat in corpora ſecundum eorum diſpoſitionem, incongruum videtur ipſius operationem pervertere: præſertim in hac noſtra methodo, qua humores magis diſponuntur ad exeundum per loca illa, quo maxime natura vergit. Cur igitur ad alvum ejus vim conſulto determinabimus, ſi cum determinatur, ut plurimum, moleſtiam affert, ut in hoc Ægrotante, aliiſque obſervavi; & interdum periculum quoque? Hinc ſi tormina oriuntur, medicamenti uſus per dies aliquot intermittitur. Nihilominus ſi per alvum ſuam vim exerat ſine torminibus, & *ſanguineo-mucoſis* excretionibus, naturæ opus relinquendum eſt, cum hæc doceat Locher (*a*) *Felices vero illi, qui a remedio bis, terve de die purgantur; citiſſime enim reſtituuntur*. Juvat tamen aliquando

(a) *Ibidem pag. XVI.*

do alvuum enemate, vel caſſia cum diagridio, ubi ea fuerit adſtricta, ſubducere. Modicus ſalivæ fluxus, & urinæ copia duæ illæ ſunt viæ per quas mercurius hic ſibi relictus miaſma venereum, ut plurimum, eliminat; eæ igitur minime intercludendæ ſunt.

ÆGROTUS X.

MUlier annorum 20. pleno corporis habitu, cum a tribus menſibus prægnans eſſet, febri tertiana duplici correpta eſt cum gravi capitis dolore. In Noſocomium excepta eſt; cumque juſſiſſem ei ſanguinem mitti, negavit ſe id paſſuram, propterea quia gonorrhæa laborabat. Sanguis nihilominus ei miſſus fuit. Deinde decocta emollientia & refrigerantia præſcripta ſunt, & citiſſime a febre liberata eſt. De Noſocomio decedere voluit. Conſilium dedi, ut ſerum vaccinum, & emulſiones ex ſem. frig. ſumeret: at illius egeſtas remediorum uſum prohibuit. Uno elapſo menſe in Noſocomium rediit eadem adhuc durante gonorrhæa,

accedentibus cruſtis rubris in fronte, & hinc inde per totum corpus. Mercurii uſum ſublimati *corroſivi* ſtatim incepit, quoniam graviditas præparationis noſtræ methodum non admittebat. Tertio mercurii grano ſumpto cruſtæ decidere cœperunt: nihilominus linimento *coſmetico* ſupra memorato, illas illiniri voluimus: ſeptem mercurii grana data ſunt, neque ullum eſt paſſa ſymptoma, præter anxietatem præcordiorum poſtremis diebus. Urinæ fuerunt copioſæ. A cruſtis, & a gonorrhæa ſanata eſt.

S C H O L I U M.

VEr ſaluberrimum eſſe Hippocrates docet. Qui igitur in eo contingunt morbi, facilius judicantur. Febres tertianas ſubrepentes venæ ſectione potius, quam cortice Sydenhamius curat. Id ego quoque feci, habita præcipue ratione Ægrotantis temperaturæ. Nec me quidquam gonorrhæa exterruit, cum celeberrimus Aſtruc ejuſdem curationem a phlebotomia incipiat: ac merito; quia morbus hic fit cum

in-

inflammatione. Liberata eſt a febre, non a gonorrhæa, quia remedia neglexit. Nil igitur mirum, ſi paullo poſt lues orta ſit. Nec me ab uſu mercurii ſublimati *corroſivi* graviditas deterruit, qui ſcirem clariſſimum Aſtruc, (*a*) urgente morbo, inunctionem ex mercurio etiam in prægnantibus adhibere: atqui lenior eſt per ſublimatum curatio, nec ullum periculum creat. Imo teſtor, me neminem, quovis venereæ labis gradu infectum, curaſſe, qui levamen ſaltem aliquod non ſuſceperit; neque ullum periculum hoc medicamentum attuliſſe vidi. Tuto igitur, & feliciter mulieri huic, quamvis gravidæ, illud propinavi, cum Locheri ſapientiſſimi hæc verba timorem omnem diſcutiant (*b*) *gravidæ ipſæ, vel inſciæ graviditatis, vel eam celantes, ſine minima noxa per menſem & diutius ſumpſerunt ſpiritum*. Anxietas præcordiorum, quam extremis diebus induxit mercurius, a nimia vaſorum diſtenſione petenda videtur, quia primis graviditatis menſibus, non omni ſanguine uterino a par-

vo

(a) *Lib. IV. Cap. VIII.*

(b) *Loc. cit. pag.* 38.

vo fœtu abſumpto, in vaſa viſcerum naturalium major ejus copia irruit, quæ viſcera a medicamento nonnihil criſpata, liberum ſanguini ipſi circuitum non relinquebant. Parva mercurii quantitate opus fuit, quia morbus recens facile depelli poterat.

ÆGROTUS XI.

ANgelus N. N. ex rure *Montà* agri Patavini, annorum 39., temperatura calida, & humida bubonem ex venere contraxit. Crudus permanſit dies XIX. donec nocte quadam copioſo ſudore erumpente, reſolutus fuit. Poſt annum, ex impuro concubitu gonorrhæam ſuſcepit, quæ ſibi relicta ſine ullo remedio intra tres menſes ceſſavit. Paullo poſt dolor ſcapulas humerum dexterum, omneſque inferiores articulos ſiniſtræ partis, occupavit. Repente pus exire cœpit ex digito pollice ſiniſtri pedis, ex parte quæ ſub ungue eſt, quod per annum cum dimidio ſymptomatibus fere omnibus tunc ſilentibus, perduravit. Vix pus ſubſtitit, cum do-

dolor gravis os calcanei invaſit, ut illo ſolum premere non poſſet. Illico ad medicum confugit, qui duabus ſanguinis miſſionibus, & decoctis ſudorem cientibus Ægrotantem ſanitati reſtituit, qua annos fere quatuordecim uſus eſt. Quibus elapſis, *lumbago* ſuborta eſt ab ultima lumborum vertebra per coccygis os diffuſa cum torpore, & gravitatis ſenſu; qui torpor etiam ad crura propagatus potentiam corpus ſuſtinendi illis ademit. Itaque in Noſocomium illatus eſt.

Sanguinem bis miſimus, cruſtamque ſatis firmam tum prima, tum ſecunda quoque vice exhibuit. Deinde, præmiſſis balneis & decoctis, ad mercurium ſublimatum *corroſivum* devenimus, a quo nulla eſt inducta ſenſibilis mutatio. Grana mercurii xxx. ſumpſit: ſed jam a viginti granis ſtupiditas, & gravitas crurum ſublata eſt, illaque in omnem partem movere, nondum tamen ipſe per ſe ſtare poterat. Conſilium dedi ut ſe conferret ad Thermas Aponenſes. Ita cruribus valebat, ut greſſu, quamvis non omnino firmo, de Noſocomio deceſſerit, baculo adjutus.

Scho-

SCHOLIUM.

PRotinus de hoc Ægrotante coram diſcipulis præſagivi difficilem admodum curationem futuram, cum Hippocrates doceat, morbos nervorum difficilius ſolvi, quam morbos venarum; id confirmante Aſtruc de venereis quoque. Quando miaſma celticum motum muſculorum infirmat, ſignum eſt illud lympham membranæ cellularis nervorum inquinaviſſe, ad quæ vaſa medicamenta ex mercurio vix pervenire poſſunt. Hinc ſanationis difficultas. Sed alias quoque obſervationes hæc hiſtoria nobis exhibet, & quidem illam inprimis, quam alibi attigimus, venerei bubonis diſſolutionem male tutam eſſe. Sublatus eſt hic bubo naturæ vi; ſed fortaſſe penitus diflatum miaſma non fuit, quod poſtea a gonorrhæa adauctum gravia intulit ſymptomata. Illud quoque evinci poteſt, venereum morbum non ſanari a natura, præcipue cum ſanguinis lympham infecit: pus enim a digito pollice erupit per annum, & ultra cum ſympto-

ma-

matum fere omnium extinctione : ſed eadem ſymptomata reverſa ſunt, ubi pus exire deſiit. Curatione igitur indiget morbus hic, quæ ſpecificis medicamentis perficitur, cujus generis multa Auctores prodiderunt: hypocauſta, & hydrotica ligna, ſulphureis præcipue conſtitutionibus, quam maxime obeſſe ex allatis hiſtoriis, intelligitur. In corporibus ſuccoſis, ſi quando juvant, in recentiſſimo tantum morbo juvant. Si vero morbus inveteratus ſit, & intimiora corporis invaſerit, niſi Utheniana methodo adhibeantur, nullum afferunt levamen; & ſi afferunt, conſtans non eſt, ut in hoc Ægrotante, qui poſt annos quatuordecim ſine nova cauſa ab eodem morbo violentius aggreſſus fuit. Unica igitur ſpes ſupereſt in remediis ex mercurio paratis, quæ varia variis temporibus adhibita fuerunt.

Primis temporibus moleſtiſſimus *ptyaliſmus* per inunctionem cum mercurio, auctore Beringario Carpenſe, excitabatur: ſed multi in curatione ipſa interierunt: quales caſus noſtris etiam temporibus non defuerunt. Nec defuerunt, qui

ſummo cum Ægrorum damno *ptyaliſmum* ope ſuffumigii ex cinnaberi tentarint. Periculoſiſſima hæc methodus eſt, nec ſatis certa, cum Uthenius novies fuerit inunctus, nec umquam ſanatus, quod quidem humano generi proficuum fuit, quia novam methodum a me quoque uſitatam optimo cum ſucceſſu, excogitavit. Exterriti Medici ab infauſtis eventibus plenioris inunctionis, alias ex mercurio præparationes invenerunt: inprimis Paracelſus Aquilam albam, Valentinus ex mercurio panaceam, & Riverius Calomelanum. Sed hæc quoque dirum ſalivæ fluxum excitant, nec omnino certa ſunt, ut videre eſt in hiſtoriis eorum, qui hac methodo tractati fuerunt. Hinc imperiti quidam Clinici valde falluntur, cum ex copia lymphæ craſſæ, & ponderoſæ per ſputum excretæ, omnia bona Ægris ſuis ominantur, tamquam morbi cauſa ita expelleretur. Mercurius hoc modo exhibitus, vaſa lymphatica ſalivæ glandularum diſcindit. Quid igitur mirum ſi ex iiſdem lympha vel uberrime profluat? Viſcida cum illa ſit, nonne indicium eſt a mercurio

ſu-

ſubactam non fuiſſe ? Pondus quod habeat, id ſiquis tribuat mercurio ex laceratis vaſis ſimul exeunti, lymphæque irretito, fortaſſe a vero non aberrabit. Symptomata luis, quæ quamvis mitiora vel remanent, vel aliquod poſt tempus recrudeſcunt, ut ſæpiſſime fit in hac methodo, eam male fidam eſſe demonſtrant. Incerta pariter ea eſt, quæ Belloſtianis pillulis peragitur. Hæc alvum ſubducunt. Agunt igitur in primas vias, a glandulis inteſtinorum liquidiora evocant, craſſioribus remanentibus. Non inficiar quidem aliquam mercurii portionem etiam in ſanguinem repere, ſed modica eſt, quia pars major cum fæcibus per alvum emittitur. Ego certe, niſi recentiſſima fuerit lues, hiſce pillulis eam numquam eradicatam fuiſſe obſervavi, multiſque novam medicinam adhibui, qui ante ſine conſtanti profectu remedio illo uſi fuerunt. Ad hanc claſſem refertur etiam æthiops mineralis rhabarbaro mixtus, qui aliquibus pro arcano eſt. Itemque decocta, & vina quorumdam Agyrtarum ex lignis Hydroticis, agarico, colocynthide, aliiſque ſimilibus parata, quæ lym-

 pham

pham copioſam , mucum , ſanguinem interdum , per alvum expellendo , Ægrotis vanam ſpem afferunt , morbi cauſam e corpore eliminari. Hæc numquam morbum tollunt , imo exaſperant , ſi alicui dentur ſiccæ corporis conſtitutionis , vel cui pulmo , aut viſcus aliquod male affectum ſit.

Mercurii diaphoretici quoque variæ ſunt præparationes , quibus Clinici utuntur , cum decoctis ex Sarſa paril. & radic. Cin. Sed raro quidquam proficiunt , aut parum certe proficiunt. Quandoque paſſim purgantia pharmaca exhibent, ut quæ diaphoretica vi attenuata ſunt , per alvum eliminentur. Methodus hæc rationi minime conſentanea eſt , quia remedii effectus contrario motu perturbatur. Omnium harum methodorum cum junior adhuc eſſem , periculum feci , eaſque infidas ſatis ſuperque deprehendi. Cum enim Ægros hac lue infectos pene innumerabiles curandos habuerim , occaſio ſane non defuit plura medicamenta tentandi , & noſcendi quæ certiora , tutioraque ſint. Hæc inter inunctionem cum mercurio ſecundum methodum Mon-

ſpe-

ſpelienſem , aliamque Uthenii , & mercurium ſublimatum *corroſivum* ego excellere inveni. Sed trium horum auxiliorum , aliud alii vel corpori , vel morbi gradui convenit , quod cognoſcere prudentis Medici eſt. Et ſi quis forte fuerit , qui aliquod ex his tribus præſidiis tamquam tutius extolleret , a vero quam maxime recederet. Hæc ego cum ſcribo , non doctis & ſapientibus Viris , ſed diſcipulis meis ſcribo , quos nollem cuicumque Scriptori temere credere , imperitis Clinicis multo minus. Interea illud veriſimile eſt , venereum morbum vitium eſſe lymphæ craſſioris , & viſcidioris factæ peculiari cum acrimonia. Cujus viſciditatis , & acrimoniæ gradus pendet a vi miaſmatis a quodam certo corpore in aliud certum corpus traducti , a morbi duratione , aliiſque cauſis a medico diligenter explorandis. Ex hiſce prudens medicus methodum præparationis determinare poteſt , cum aliquando laxandum magis , aliquando magis demulcendum ſit. Hinc decoct. ſarſ. paril. cum lacte aſinino in corporibus flegmaticis , & melancholicis : decocta Cann. Mont.

cum

cum caprino lacte in ſanguineis : & decoct. radic. cinn. cum vaccino lacte in biliofis convenire magis videntur. Sed hæ generales ſunt regulæ, quæ ſæpe variant ratione ſymptomatum. Numquam tamen attenuandi, & demulcendi variat ratio, ne mercurius, vel decoctum craſſiora inveniens, tenuiora tantum expellat, vel craſſiora offendens magis exaſperet. Hic tamen Ægrotans, de quo ſermo adhuc fuit, nulla omnino methodo ſanari potuit, neque ſanabitur.

ÆGROTUS XII.

MUlier annorum 30. corporis habitus ſanguineo-cholerici ex impuro concubitu pudenda porris undique obſeſſa habuit. Poſt menſes duos cutis tota ſcabie, maculiſque croceo-viridibus fœdata eſt. Cum in Noſocómium ingreſſa eſſet, curationem ejus ſecundum meam methodum inſtitui. Bis ſanguis detractus eſt, primum cum cruſta ſatis craſſa, deinde cum tenuiori. Mercurium ſublimatum *corroſivum* ſumere cœpit, ſed ob quamdam mentis imbecil-

li-

litatem cum multum bibere reſpueret, damnique non parum acciperet, a medicamento abſtinere juſſa eſt. Decocta ex ligno ſancto illius temperaturæ non conveniebant, nec morbum extirpare poterant niſi Utheniana methodo, propinata. Quare inunctionem ex mercurio eadem methodo qua in quinto Ægrotante, inſtituimus, eamdemque linimenti doſim adhibuimus. Nulla in illius corpore mutatio facta eſt: ne indicium quidem *ptyaliſmi*. Uſus remedii tempore menſtruorum intermiſſus, poſtea repetitus eſt etiam quotidie inungendo, ſed nullum omnino ſalivæ fluxum movit, cutis tamen mundata fuit, & prope curationis finem porris forfice exciſis, mulier ſanata de Noſocomio deceſſit.

SCHOLIUM.

PORRI venerei nil aliud ſunt quam nervearum papillarum eroſo, a miaſmate, epithelio, quo firmabantur, productiones. Celluloſa earum membrana minus cordis vi impellenti reſiſtit: colliguntur igitur in ejus cellulis humo-

mores, & porri excreſcunt cum dolore, quia nerveæ fibræ ab humorum preſſione diſtrahuntur. Inflammantur quandoque, indurantur, & carcinomatis naturam induunt. Hi ſive temporis progreſſu, ſive primitus erumpant, luem adeſſe teſtantur. Puſtulæ igitur ſcabioſæ, cutiſque maculæ a venereo miaſmate ortæ ſunt. Quamobrem remediis ex mercurio morbum tractavimus.

Mercurius ſublimatus *corroſivus* aptiſſimus erat, cum in morbis cutaneis ſummopere valeat; at quia mulier hæc a copioſo potu abhorrebat, a remedio illo abſtinere ſatius fuit, ne graves turbæ excitarentur. Potio larga neceſſaria eſt etiam in linimento ex mercurio, ſed minus periculi eſt ſi omittatur. In uſu ſublimati *corroſivi* res aliter ſe habet. Nec mirum eſſe debet ſine *ptyaliſmo* morbum ſublatum fuiſſe. Id non hæc modo hiſtoria, ſed & alia Adoleſcentis cujuſdam, qui tribus unciis mercurii conſumptis in unctione ſine ſalivæ emanatione, ſanatus eſt; & aliæ quoque non paucæ ſignificant. Curatio venerei morbi in eo conſiſtit, ut lympha

pha attenuetur , & liberius per omnia vaſa fluere poſſit. Id mercurius agit , & quandoque ſine ſenſibili ſeparatione agit. Satis eſt , ut ab eo globuli lymphatici nimis compacti a mutuis nexibus dividantur , & vaſorum diametro proportione reſpondeant. Æqualis tunc humorum circulus redditur , & ſymptomata morbi recedunt , quæ a lentore ejuſdem lymphæ antea progignebantur. Quomodo id mercurius ſublimatus *corroſivus* peragat , jam demonſtravimus; nunc quomodo id faciat vivus , dicendum eſt.

Ut autem id pateat , mercurii vivi gravitas ſpecifica cum ſanguinis gravitate ſub eodem volumine comparari debet , quæ ſe habebit ut quatuordecim ad unum. Deinde ejus ſphærica natura , & facilis ad abeundum in minores globulos , conſideranda eſt , tum ſumma ejus mobilitas etiam attendenda , ſive ea ſphæricæ tantum tribuatur figuræ , ſive etiam alicui vi eidem inſitæ , & nondum ſatis cognitæ. Itaque per cutis poros in ſanguinem inſinuati mercurii globuli ſub eodem volumine quo ſanguinei , & lymphatici , uberiorem materiam continen-

tes , tanto gravius quam illi , vaſorum latera premunt , quanto illis graviores ſunt. Cum autem elaſticorum corporum diſtractionibus proportionales ſint contractiones, inde fiet , ut mercurius eodem motus gradu repellatur , quo ipſe vaſorum latera diſtraxit : ex hac actione , & reactione ſolidorum motus adaugebitur, & tota fluidorum maſſa celerius movebitur , ut celeriores pulſus jam oſtendunt ; atque humores non tantum movebuntur celerius, ſed etiam in partes minores dividentur , quia mercurius ſphærica figura donatus, puncta conctatuum mutare ſemper cogitur ; eo quod tangit corpora ſecundum punctum, quod numquam poteſt eſſe firma baſis corporum ; idque magis accidit , ubi corpora tacta elaſtica ſunt. Hæc præcipua ratio eſt ſummæ mercurii mobilitatis. Ex hac ſumma mobilitate , atque variatione conctatuum in ſphærulas adhuc minores ſubdividetur , quæ areas fluidorum permeare valebunt , ſuoque motu & gravitate nexus globulorum ſanguinis, & lymphæ disjicere , & in globulos minores redigere. Multiplicatis globulis , eorumque ſuperficiebus

ma-

majus ſpatium ad eamdem maſſam continendam requiritur : itaque in vaſorum latera prementes humores ea magis diſtendunt : hincque pulſus magni & aperti fiunt , ut videre eſt poſt mercurii applicationem. Ex hac actione , & reactione mercurii , hæc ipſa fluida attenuantur, & promptiora ad motum fiunt , circuituſque eorum expeditior , atque æquabilior evadit , & venerea mala vel leniuntur , vel prorſus evaneſcunt. Leniuntur quoties ſolutio viſcidi in arteriis ſerum vehentibus fit , remanente viſciditate in lymphaticis : evaneſcunt quoties liquida ita ſolvuntur , ut expedite , & æquabiliter fluere poſſint. Sed quædam alia conſideranda ſunt , quia morbus per plures annos quandoque quieſcit , & poſtea , aliqua cauſa etiam levi accedente , excitatur. Quo in caſu dicendum eſt : quæ ſuapte natura liberiorem & promptiorem motum habent , ut ſerum , & lympha , minime vitiata eſſe ; pinguia vero , quæ tardiora ſunt ad motum , in ſe miaſma involutum adhuc retinere, quod poſtea vi aliqua extricatum , recrudeſcat. Nihilominus fieri poteſt , ut actione , atque rea-

ction mercurii ſolvantur omnia ; & virus per perſpirationis vias eliminetur ; idque credibile eſt in noſtra Ægrotante , & in memorato Adoleſcente eveniſſe . Cujus autem naturæ ſit miaſma hoc adhuc detexit nemo , neque fortaſſe deteget , quia ſub ſenſu non cadit : illud certum eſt , ipſum agere , quamvis exigua quantitate ſuſceptum . Non me quidem latet , quæ Boyleus memoriæ prodidit de grano cupri ſoluto dolii aquam tingente , deque grano moſci per cubiculum particulas odoriferas viginti annos diffundente . Sed id quidem partium tenuitatem ſignificat . Ipſum miaſma venereum exigua mole contrahitur ſed totam lympham condenſat , totamque corporis œconomiam pervertit . Videndum eſt tamen an pravi effectus ab ipſa lympha ſtagnante tantum , & veneno infecta ; an etiam partim ab eadem , utpote ex mora ipſa magis acri facta , dependeant . Quomodocumque res ſe habeat , miaſma hoc partibus tenuibus conſtare veriſimile eſt , quæ irretitæ corporis humoribus incraſſatis , cum ii a mercurio attenuati fuerint , ipſæ facilius extricabuntur , &

per

per urinas, vel perſpirationem, vel alias etiam non ſenſibiles vias, expellentur. Quod a mercurio ſublimato *corroſivo*, & ab inunctione cum mercurio ſæpe fieri videmus. Hinc intelligi poteſt quanto in errore verſentur qui Ægrotos nonniſi per *ptyaliſmum* copioſum ſanare ſe poſſe putant. Modum quo ſalivæ fluxus copioſus a mercurio excitatur, nemo novit opinor; quamvis multa a multis dicta ſint. Conſtat autem inunctionem ex mercurio in corporibus ſanis æque atque in iis, quæ Lue venerea affecta ſunt, ſalivam uberiorem movere. Ratio igitur vel in ipſo mercurio, vel in humano corpore, vel in utriſque quærenda eſt. In mercurio ſolo minime poſita eſſe videtur, quia præter ſalivæ glandulas, innumeræ aliæ ſunt hinc inde intus, & foris per corpus diſperſæ, quas certe mercurius pervadit, & tamen in iis nullas turbas excitat. Illius figura, tenuitas, & mobilitas ſuadere videntur, eum vaſa lymphatica omnium glandularum permeare, & præcipue cum non deſint hiſtoriæ, quæ mercurium inventum fuiſſe in diploe oſſium cranii oſtendant. In corpore igitur

tur humano, & præſertim in ſalivæ glandulis ratio quærenda eſt. Norunt chimici ſalivæ, magnam lymphæ partem, parum olei, modicumque ſalis ſubſalſæ naturæ, ineſſe: ſed inſuper norunt mercurium ſaliva ſubactum fixari. Id ut contingat, neceſſe eſt mercurii partes ſuam mutare figuram, quod ſalibus ſalivæ fit inſinuatis inter ejus poroſitates, qui eas partes polygonas faciunt ex rotundis. Hinc mutata figura, & angulorum multiplicitate, ſuoque, quod numquam amittit, pondere, glandulas urget, irritat, inflammat, exulcerat, atque ab eroſis vaſis copioſa ſaliva profluit. Id jam oſtendunt præcedentes gingivarum rubores, dolores, iidemque affectus omnium glandularum oris. Hinc mephtis ab ore ſpirat, quod imperiti Clinici miaſmati venereo exeunti tribuunt, cum ab oris ulceribus ſemper humidis, novoque aere tactis, humores magis corrumpente, dependet. Inflammatio vero quandoque tanta fit vel in pharinge, vel in laringe, ut omnimode deglutitio impediatur, vel ſuffocationis periculum immineat. Mulierem quamdam olim cura-

ravi, in qua levis inunctio tantam faucium inflammationem excitavit, ut nec deglutire, nec loqui poſſet; itaque ſcripſit: *hoc non chriſtiani medici, ſed prorſus barbari remedium eſſe*. Caſus hic me cautiorem reddidit in *ptyaliſmo* excitando: imo & hac ipſa, & aliis de cauſis adductus ſum, ut fluxum copioſæ ſalivæ evitandum crediderim in hoc morbo: cum ab eo hæmorragias, & gangrænas pernicioſiſſimas interdum ortas viderim. Quod etiam clariſſimus Locher teſtatur his verbis (*a*): *Ita & in Noſocomio ad Sanctum Marcum mos invaluit Lue affectis curam facere mediante ſalivatione quotannis vere, & autumno inſtituta. Moleſta æque, & periculoſa hæc Ægris fuit, dum his ſub toto ſalivationis tempore ſupine decumbere haud licuit: etenim, ſi quidam ſui obliti ſupine jacuerunt, aut plane in tali ſitu dormire cœperunt, inſtantanea metaſtaſi ad encephalon facta: convulſi vale dixerunt vicinis decumbentibus, ocius periere. Alii ex acri remedii indole, vomitum, hæmophthoem, dyſenteriam acceperunt haud raro indomabilem. Sæpius acceſſit ex nimia*

(a) *In obſervat. pract. circ. Luem ven. cap. I. pag. XI.*

mia humorum reſolutione periculoſum exantema mi-liare. Quidam ſalivabant nimium, tantaque mala paſſi ſunt, ut ipſam mortem cominus viderent. Tale ludebatur Ægris periculum nec minus adſtantibus offenſa hæc cura evaſit. Horrenda illa intollerabili medicatione tantis periculis ſtipata admotus, deliberavi ſæpe de alia tutiori methodo, minuſve moleſta Ægris, & adſtantibus. Quam tutiorem methodum in mercurio ſublimato *corroſivo* invenit.

Ut autem noſtra ſententia magis confirmetur, ad ea, quæ mercurius quandoque in inteſtinis agit, attendendum eſt: diarrhæas, & dyſenterias promovet, quia ibi humorem, (conſentientibus ſcriptoribus omnibus melioris notæ) ſalivæ ſimilem invenit, præcipue in pancreate. Hinc celeberrimus Aſtruc in regione pancreatis dolores præcedentes hoſce affectus, obſervavit & ego quoque obſervavi; qui cito ſedandi, ne irreparabile damnum afferant. Atque ex hoc quoque intelligere licet, veneream Luem minus tuto per *ptyaliſmum* curari. Quapropter methodus iſta proſcribenda videtur; & jure ſcribit clariſſimus de Haen loquens de vi mercurii ſu-

bli-

blimati *corroſivi* : (*a*) *ſed ſi hinc vituperaverit eam quis a fortiore , ut ajunt , debebit ptyaliſmum vituperare*. Neceſſarium non eſſe ſalivæ fluxum in curando venereo morbo illi fidem faciunt, qui ſine illo ſanati ſunt. Hinc ad rem maxime faciunt ea, quæ Sydenhamius, Boerhavius, alii que ſcriptores de mercurii facultate excogitaunt, quam non ſpecificam in oppugnando venereo miaſmate, ſed ad humores tantum ſolvendos, aptam eſſe agnoverunt; iiſque fluidis factis venenum ſimul eliminari : ſed inſuper vim vitæ requiri, qua humores illi una cum miaſmate foras amandentur : quod conſequi vix quidem poſſumus, ubi Ægrotans diro *ptyaliſmo*, ris doloribus, inflammatione, exulceratione, & febre infirmatur. Id olim novit clariſſimus Fernelius hæc docens (*b*) *atque adeo durum eſt hoc medicationis genus, ut perire morbo complures malint, quam tanto periculo, tam acerbo diſcrimine levari; quamquam vix centeſimus levatur, recidivo, ut plurimum, Ægro*. Hanc igitur curandi methodum

V

(a) *Cap. XII. de varior. medic. effic.*

(b) *De Luis vener. curat. per Hydrar. cap. VI. pag.* 323.

dum non tutam primis etiam temporibus Windelin. Hock de Brucheneau ann. 1514. Gulielm. Rondelet ann. 1560. Georg. Gord. 1568. Henric. Haguenot 1734., & Chicoyneau agnoverunt. Qua veritate ducti Galli Medici, inter quos hoc ſæculo floret Aſtruc, & ipſo ſeverior Guiſart *ptyaliſmum* moderari conati ſunt. Eo tandem ſapientiſſimi Viri Swietenius, de Haen, & Locher devenerunt, ut mercurio ſublimato *corroſivo* ſine ullo ſalivæ fluxu veneree morbi perfectam curationem invenerint. Nuperrime autem id fieri poſſe, & debere, inunctione etiam cum mercurio adhibita, multis obſervationibus clariſſimus Coſte Junior confirmavit, illoſque irridet, qui ſalivæ fluxum ad hunc morbum expugnandum neceſſarium eſſe contendunt. Hunc audiamus quæſo: (*a*) *l' eſempio di queſta ammalata prova quanto ſia ridicolo, e ſtupido il credere, che la ſalivazione ſia utile per la guarigione dei mali venerei*. Quod olim etiam ipſemet Aſtruc, quamvis alibi aliena proferat, (*b*) fie-

(*a*) Nelle ſue eſſervazioni prat. ſopra le malatt. vener. *Oſſervaz. V. annot. VII.* (b) *Lib. IV. Cap. IX. pag.* 433.

fieri poſſe aſſeruit ; (*a*) ecce ejus verba : *plerique demum de futuro remedii ſucceſſu male inde augurantur, veriti ne defectu ſalivationis curatio quoque defectura ſit : quaſi ſeminium morboſum curari non poſſit, niſi foras exterminetur. Sed næ illi errore tenentur maximo : jampridem enim palam eſt obſervationibus, veneream Luem ſine ſalivatione ulla radicitus extirpari. Et ſane cum morbus contrahatur ſine humore ullo conſpicuo, qui intro ſubeat, nequaquam mirum videri debet, ſi perfectam curationem recipere poſſit ſine ulla manifeſta evacuatione. Adde porro defectum ſalivationis plerumque ſuppleri alvi fuſione, diureſi, ſudatione vel inſenſibili perſpiratione, quæ ſingulæ evacuationes deficientis ſalivationis vicariæ eſſe poſſunt.*

Ex quibus aperte liquet, naturam quandoque, larga etiam adhibita inunctione, *ptyaliſmum* arcere, morbumque nihilominus curari. Quod ipſemet Sydenhamius etiam obſervavit : (*b*) *In hujuſmodi Ægris maxime cavendum eſt, ne ani-*

(a) *Ibidem Cap. VIII. pag.* 417.
(b) *Epiſt. ſecund. reſponſ.*

mo nimis obſtinato ſalivationem importunius urgeat (*Medicus*) *recalcitrante natura, atque ab iſto evacuationis genere prorſus abhorrente; quod qui minus intellexere, Ægros haud paucos letho dederunt*. Ad quod periculum tollendum, conſilium dat, ut rariores fiant inunctiones, ut interponatur *Turbit minerale*, & mercurius dulcis, & ita concludit: *atque hoc pacto univerſa hujus morbi ſymptomata tandem expugnabis, conceſſo utique debito temporis ſpatio*.

Quare ſi natura, largiori etiam inunctione adhibita ſine *ptyaliſmo*, curat morbum: ſi ex Sydenhamio is alio pacto perfecte expugnari poteſt: ſi obſervationes adſunt innumeræ id confirmantes, cur a medico copioſus ſalivæ fluxus non impedietur, ne maxima tormenta, & pericula Ægros teneant? Id a ſapientiſſimo Aſtruc his verbis deſiderari videtur: *Igitur tantum abeſt ut Ægrotantibus, quos in hydrargiroſi* ptyaliſmus *deſtituit, cauſa ulla ſit, cur vicem ſuam doleant, modo recte, & ex artis legibus procedatur, ut contra potius ſibi juremerito gratulari debeant, quod ſibi datum ſit rara ſatis felicitate abſque tædio, &*

pe-

periculo ſalivationis, *atque adeo tutiuſque*, *commodiuſque a venereo morbo convaleſcere*.

Hæc certe felicitas noſtris Ægrotantibus obtigit, ut abſque diro *ptyaliſmo* ſanarentur, aut mercurio ſublimato *corroſivo*, aut inunctione ex mercurio, peculiari methodo adhibita. Ad *ptyaliſmum* autem impediendum præcipere ſoleo, ut Ægrotantes interdiu vino auſtero gingivas, totumque os colluant. Quod ſi nihilominus ille interdum oritur, ſtatim cathartico pharmaco vim mercurii alio deducere ſtudeo, ut diutius in ſanguine retentus lympham magis diſcindat, magiſque ſubigat. Si autem in curationis fine aliquis ſalivæ fluxus appareat, illum fovere ſoleo, dummodo lenis, tenuiſque ſalivæ ſit; tunc enim fere ſemper lympha tota ſubacta eſt. Sed noſtræ præparationis methodus, & ratio adhibendi remedia ex mercurio parata, efficit, ut nullus, vel ſaltem modicus *ptyaliſmus* excitetur. Qui ſi forte propter corporum *idioſyncraſiam* urgeat, cito noſtra methodo etiam tollitur, a qua certe numquam recedam, ubi res poſtulabit, modo mercurium ſublimatum *corroſivum*,

mo-

modo vivum cum inunctione, modo dulcem adhibendo, quamvis ab hoc poſtremo valde abſtineam: tres enim mihi venereum morbum curandi familiares ſunt methodi, ut jam innuimus, (*a*) neque ex his aliquam præfero, quoniam harum quælibet pro ratione morbi, ejus gradu, Ægrique conſtitutione anteferri debet; reliquis tunc duabus inferioribus imo damnum inferentibus. Nec me quidquam moverint verba illius Viri, qui inunctionem ex mercurio cæteris eſſe methodis præferendam aſſeruit, maxime quia morbus venereus per vaſa lymphatica venoſa introducitur, *& ita mercurius morbum ex radice quaſi ſua ſenſim evellit*. At venerea ſymptomata a Lue diſtinguenda ſunt. Propagatur quidem venereum miaſma per vaſa lymphatica venoſa; & bubones, gonorrhæas, ulcera, porra, aliaque mala, pro diverſo ſuæ propagationis loco, gignit, quæ peculiaria venerea ſymptomata denominantur: cum vero lympha hoc miaſmate infecta ſanguini traditur, totamque ejus maſſam inquinat, tunc tantum Lues dicitur. Hinc cum ar-

(a) *Pag. CXL.*

arteria conus convergens ſit, & divergens vena, clariſſime intelligitur, ut Lues eradicetur, arteriarum ſanguinem, earumque lympham per vaſa ſui generis fluentem attenuari, atque exſolvi debere: cum lympha infecta aptior ſit ad lenteſcendum in decreſcentibus arteriis, quam in venis. Quod ſi quis forte dixerit, mercurium per inunctionem citius in ſanguinem permeare, quam per os ſumptum, conſideranti tardiſſimum lymphæ motum per vaſa lymphatica venoſa, totque glandularum machinulas, veluti totidem vectes qui lymphæ motum adjuvent, ejus error apertiſſime conſtabit.

L E C T O R I.

OCties, quem hic adjicio libellus, a me novem abhinc annis in lucem editus, variis poſtea temporibus, & locis excuſus eſt. At quoniam, iteratis editionibus, ut fit, quamplurimi irrepſerant errores; & iſthæc, qualiſcunque, adhuc a multis poſtulabatur opella, eam rurſus typis committere ſtatui; & huc præſertim conjiciendam putavi ob maximam cum cæteris Obſervationibus adfinitatem. Emendatiorem igitur, & auctiorem in aliquibus, editionem habebis, quod tibi non ingratum fore confido.

HI-

HISTORIA

Aliquot Curationum Mercurio ſublimato corrodenti perfectarum.

CUm duarum Gherardi Swietenii epiſtolarum exemplum, quod in calce hujus libri poſitum eſt, in manus perveniſſet meas; quibus in piſtolis mercurii ſublimati corrodentis non modo ad Veneream Luem, verum etiam ad alios lifficiles morbos ſanandos, vis prædicatur, & uo modo eo utendum ſit, exponitur; Viri celeerrimi nomine, & nota pharmaci efficacia pernotus, mecum ipſe conſtitui, ubi primum occaio ſe præbuiſſet, experiri quam bene res ſucceleret. Quæ quoniam ex voto non ſemel cecidit, nuneris mei eſſe duxi, hiſtoriam curationum o medicamento a me perfectarum, conſcribere,

& publicæ luci committere : hac præſertim de cauſa , ut ſi qui eſſent ex noſtris Medicis , qui id remedium adhibere non auderent , inanem metum excutere poſſent. Sed ne quis dicat me temere feciſſe , qui tam violentum medicamentum præſcribere non dubitaverim , ſciendum eſt me multum & diu cogitaſſe , quantum poſſet ex eo boni , vel mali naſci , ac tandem in eam ſententiam veniſſe , ut id perquam utile interdum futurum exiſtimarem. Deinde de eo multa cum eſſem loquutus Bononiæ cum Viro clariſſimo Gallio , is me certiorem fecit , hoc ipſum non modo non noxium , verum etiam efficax eſſe medicamentum. Accedit , quod notum mihi erat ab uno ex meis diſcipulis , multo antequam de Swietenii methodo quicquam eſſet auditum , ipſo corrodente ſublimato eo modo dato , quem Boerrhavius proponit , ſanitati reſtitutum fuiſſe ruſticum quemdam longo , eoque gravi morbo laborantem. Egi propterea de hac re cum Bartholomæo Juliario amiciſſimo homine , & nobili hujus Urbis Medico , petiique ab eo , ut vellet ipſe primum tentamina facere in Noſo-

co-

comio, in quo milites curantur, quorum corpora firmiora fere ſunt. Is mihi benigne ſatisfecit ſic, ut protinus aliquot ægros eo medicamento curare cœperit ſatis proſpere. Quos quidem ægros, & ego ſæpe, & nonnulli mei diſcipuli aſſidue inviſerunt, ut omnes medicamenti effectus, & quotidianas mutationes notare facile potuerimus. Hiſce momentis, Swietenii judicio, & fide jam antea motus, tandem adductus ſum, ut in meis quoque ægris, nobilibus in primis perſonis, idem medicamentum adhiberem. Cujus quidem nomen ipſum terrere prudentem Medicum poteſt, quod peſſimum venenum indicare ſolet. Sed primum Boerhavius vir ſummi ingenii, & multæ artis docuit temperare illud ſic, ut, ſummoto periculo, eo uti liceat, tamquam utiliſſimo medicamento, atque interdum cæteris præſtantiori. Verum ibidem breviter, & obſcurius fortaſſe quam par erat, modum expoſuit, quo dari debet. Sunt enim hæc ejus verba: (*a*) *Granum unum aquæ uncia dilutum dat remedium coſmeticum pru-*

X 2 *den-*

(a) *Elem. Chimic. T. II. P.* 3. *Proceſſ.* 198.

denter uſurpantibus. Venenum omnium inſectorum cutaneorum ſimplici lotura. Si drachma talis miſturæ Syrupo Violaceo mitificata potatur bis terve in die, mira præſtat in multis morbis incurabilibus. At prudenter a prudente Medico; abſtine ſi methodum neſcis. Poſtea Swietenius duabus iis, quas ſupra memoravi, epiſtolis latius quædam deduxit, quædam mutavit, quædam etiam adjecit. Nam loco aquæ, frumenti ſpiritum rectificatum ſumi jubet ad ſublimatum ſolvendum. Apud nos, quia frumenti ſpiritus non facile invenitur, vini ſpiritus ſumi poteſt, cum, laudato Boerhavio obſervante, (*a*) ſpiritus ex quocumque vegetabili fermentatione parati, & rectificati, nihil fere differant inter ſe. Eademque opinor ratio, quæ facit, ut nos vini ſpiritum adhibeamus, fecit ut Swietenius frumenti ſpiritum adhiberet, quod is facilius in iis regionibus comparari poſſit. Ego vini ſpiritu ſum uſus. Porro obſervavi unum ſublimati granum facilius, perfectiuſque in duabus ejus ſpiritus vini unciis diſſolvi, quam in eadem aquæ quantitate, in

qua

(a) *Loc. cit. P. I. Proceſſ.* 43.

qua aliquid ejuſdem mercurii poſtea ſubſidet. Quod commode explicari poteſt, ſi concipiamus oleoſas ſpiritus particulas, utpote ſumme tenues, volatileſque, ea vi, eoque motu pollere, ut promptius, intimiuſque ſe ſe inter ſublimati particulas inſinuent, eas disjungant, disjunctaſque conſervent, ne rurſus concreſcere poſſint, neque in majores partes coaleſcere, quæ gravitate ſua reſiſtentiam ſuperent, quam iiſdem ſpiritus particulæ objiciunt. Aqua vero ſola ſuarum partium tenuitate cum agere & reſiſtere poſſit, ſublimati quidem partes dividit, ita tamen, ut multæ ex iis vincant ejus reſiſtentiam, & poſt aliquod tempus ſubſidant. Verum hæc obiter. Cum autem plures ægros hoc modo curarem, non idem erat in omnibus curationis progreſſus, aliaque in aliis phœnomena apparebant; magna nempe ſitis, totius corporis æſtus, ardoris ſenſus in urinæ itinere, ubi ea redderetur, ipſaque febris. Hæc cum in corporibus calidi temperamenti, in quibus ſolida rigida eſſent, præcipue inciderent, inquirere cœpi, num ex vini ſpiritus uſu orirentur. Ita-

que

que in mentem venit corpora illa compactas fibras, & denſam ſanguinis craſim habere, fermentatos vero ſpiritus ejus eſſe proprietatis, ut ſanguinem coagulent, fibraſque ſicciores, rigidioreſque faciant, quod ex Hoffmanni (*a*), & Boerhavii (*b*) obſervationibus notiſſimum eſt. Quidni igitur damni aliquid Ægris accedat, ſi quadraginta dies, interdum etiam plures, duas prope uncias vini ſpiritus quotidie ſumant? Itaque eo deveni, ut ſublimatum in aqua potius ſolutum iis ſumendum præceperim, addendo paullulum Syrupi Violacei, ad auſterum temperandum ſaporem. Neque ideo Swietenii methodus rejicienda eſt. Mihi diligenter obſervanti illud conſtitiſſe videtur; in iis corporibus quæ frigida ſunt, & laxis ſolidis conſtructa, ſublimatum optime cum vini ſpiritu; in iis vero, quæ calida ſunt & tenſa, ac rigida ſolida habent, melius cum aqua adhiberi. Verum illud quæri poteſt, num in vini ſpiritu quædam ſit facultas temperandi venenatam vim ſublimati?

(a) *Med. Syſtem. T. II. P. 3. c. 4.*

(b) *Elem. Chimic. T. II. P. 1. Proceſſ. 48.*

ti? Qua de re cum multa dici poſſint, ego nihil magnopere affirmo, quod hanc inveſtigationem nunc quidem non ſuſceperim. Sublimatum quidem in vini ſpiritu prompte, perfecteque diſſolvi certum eſt. Illud quoque non dubium, acida foſſilia a ſpiritibus fermentatis leniri, ut ex confectione ſpiritus ſalis dulcis apparet. Ajunt vero qui rationem reddere cupiunt, acidorum ſalium aculeos ramoſis, flexibilibuſque ſpiritus fermentati particulis quodammodo obvolvi, quominus exerere vim ſuam poſſint. Eadem ratione aliquis poſſet contendere ſalis acidum, quod mercurio ſublimato unitum eſt, ubi is in tenuiſſimas moleculas in vini ſpiritu diſſolvitur, ab eodem obvolvi, atque temperari. Inter hæc ſi illud quæritur, ut nimia ſublimati vis enervetur, aqua quoque ad id valet; atque ita valet, ut per eam potiſſimum veneni damna evitentur. Affero ea, quæ a Boerhavio ſcripta ſunt: (a) *Argenti vivi ſublimati drachma una lethalis eſt; eadem in vigintiquinque aquæ libris diluta innoxie adſumitur; nam aqua omnia vene-*

ne-

(a) *Prælect. in Inſtit. Med.* §. 1129.

nena enervat. At caſus certe non eſt prætermittendus ſervi illius a Sydenhamio memorati (*a*), qui cum *haud modicam mercurii ſublimati corroſivi quantitatem* deglutiviſſet, multa aqua tepida ingeſta, morti ereptus eſt, & ſanitati reſtitutus. Denique Auctor ipſi oleo aquam tepidam ſe prætuliſſe aperte monet. Hac de cauſa præcipit Swietenius, ut ſtatim ab ſumpto ſublimato, aut emolliens decoctum, aut lac copioſe potetur. Atque in hoc potiſſimum ratio poſita eſt, quare ab ejus medicamenti uſu adeo abhorrere non debeamus. Nam ſi eam ſublimati quantitatem aliquis ſumpſerit, quæ mortem inferre poſſit, non aliud antidotum præſtantius dabitur, quam illud ipſum emolliens decoctum, vel lac. Nunc ea ejuſdem mercurii doſis datur, quæ vix per ſe, ac ne vix quidem nocere poſſit; & tamen antidotum, quaſi veneno ſumpto, ſtatim potatur, quo procul dubio omne virus tollitur. Jam vero ut emollientis decocti, vel lactis mucoſæ, oleoſæque partes non parum ad id valent, aquoſarum itidem partium ma-

(a) *Epiſt. Reſponſ.* 1. *ſub finem*.

magna vis eſt. Ipſaque ratio eſt in promptu. Nam ſalia, docente Gulielmino, (a) corpora ſunt planis ſuperficiebus terminata, iiſque varie inclinatis pro angulorum, ideoque ſalium, varietate. Has inter ſuperficies ſpatiola quædam poſita ſunt (poros vocant) quæ pondere, motuque ſuo aquoſæ particulæ ſubeunt, ipſaſque ſuperficies urgent, atque ita disjungunt, ut in tenuiſſimas moleculas ab ſe invicem ſecedant, quarum pondus ab aquoſis ferri poſſit. Tunc ſales ab eodem Gulielmino dicuntur in ſtatu eſſe ſolutionis. Idem fere fit in mercurio ſublimato. Nam vivum quidem argentum corpus eſt ex moleculis conſtructum exiguis, rotundis, mobiliſſimis, quæ acido, præſertim marini ſalis, penetratæ polygonam figuram acquirunt, ideoque illam ad motum promptitudinem, in qua ejus fluiditas poſita eſt, amittunt, ita ut corpus conſtituant firmum, ſummæque acritatis. Eſt enim aculeis refertiſſimum, qui penetrantiſſimi, atque evoluti tota vi ſua agere poſſunt. Hinc fit, ut cuti admotum brevi eam,

(a) *Diſſert. de Salib.*

corrodat, itemque ventriculum, atque inteſtina, ſi devoretur, quo nomine venenum eſt. Verum ubi aculeorum vis infringitur, vis quoque venenata tollitur, & quæ ſupereſt facultas, validum medicamentum præſtat. Infringitur autem ea vis, ubi ſublimatum in aqua ſolvitur, quod in tenues admodum partes dividatur. Salium enim, atque adeo ſublimati actio actioni cuneorum comparari ſolet, quorum vis ab eorum quidem acumine, & magnitudine, ſed præſertim ab impetu æſtimatur, quo in alia corpora feruntur. Porro ſublimatum ab aqua ſolutum in tenues adeo partes diſſolvitur, ut impetus quoque earum minor fiat. Multiplicantur enim ſuperficies, atque ideo major iis reſiſtentia a fluido objicitur; cum, quo leviora ſunt corpora, eo minus apta ſint ſuo motui conſervando. Accedit quod ſublimatum ita ſolutum non eamdem particularum quantitatem eidem humani corporis parti applicat, ſed multo minorem. Id ex eo diſcere etiam minus gnari poſſunt, quod eidem ſublimati quantitati, quo major aquæ pars ſuperfunditur, eo le-

nior

nior fit acerrimus ejus ſapor. Atque hac, opinor, de cauſa præcipit Swietenius, ut ſublimatum parum dilutum primum ſumatur, quo videlicet ventriculum acritate ſua pungat, totumque concutiat nervorum ſyſtema, cujus cum ventriculo magnus eſt conſenſus. Profecto ab ſumpto medicamento æger internam iſtam concuſſionem ſentit. Poſtea vero copioſa ingeritur potio emollientis decocti, ut ejus acredo leniatur quidem, ne lædere ullo modo poſſit; ita tamen, ut ad ſolida vellicanda adhuc valeat: præſertim ubi mercurius, cum ea, quam diximus, liquidi quantitate ſanguinis maſſæ ſe ſe miſcuerit. Qua ex vellicatione illud ſequitur, ut, cum ſolidorum vis in liquida major exerceatur, tum vellicantes ſublimati particulæ a ſolidorum contractione retroactæ in ſanguinis, & lymphæ globulos impellantur, atque intra eos adigantur. Itaque non modo humorum craſſities attenuatur, & ſecretiones, atque excreta augentur, verum etiam acria, ſi qua ſunt quæ lædant, a craſſorum humorum vinculo liberantur, & ad exitum promoventur, eo ipſo,

quod ſecretiones , & excreta copioſiora fiunt. Inter ſecretiones autem quæ a ſublimati ſumptione cientur , primis quidem diebus per alvum dejectio eſt , quoniam ejus vis primum in ſtomachum agit , atque in inteſtina. Quam vim poſtea partes iſtæ ſenſim ferre diſcunt ; tuncque vel urina , vel ſudor promovetur , pro ægri natura , pro anni tempore , pro regiminis varietate. Illud animadverſione dignum eſt , cum familiariſſimus medicamentorum ex mercurio effectus ſit ſalivæ fluxus , ab ſumpto ſublimato me numquam obſervaſſe eum concitatum fuiſſe , niſi levis aliqua ſputi promotio conſideretur , quæ ſine glandularum intumeſcentia , ſine ullo dolore interdum contigit , & brevi per ſe ceſſavit , quæque proprie *ptyaliſmus* dici non potuit. Et quoniam a quibuſdam idem ad ſalivæ fluxum ciendum commendari non ignoro ; reſtat , ut ei methodo , qua uſi ſumus , tribuamus , quod ſalivæ fluxus non apparuerit. Porro ubi mercurius cuti affricatur , conſtat , niſi magna ejus quantitate adhibita , *ptyaliſmum* non excitari . Præparatus vero cum acidis foſſilibus

mer-

mercurius, etſi minori copia vehementius agat, tamen multo largiori doſi, quam ſublimatum corrodens, datur. Nam ubi mercurius ſublimatus dulcis in eum finem adhibetur, grana fere viginti ſumenda ſunt, antequam effectum præſtet. Quæ doſis, trium, aut quatuor dierum, aut etiam breviori ſpatio, datur, pro varia Curantis methodo. At viginti ſublimati corrodentis grana hac methodo, nonniſi viginti fere dierum ſpatio inſumuntur. Quota igitur eſt ſublimati corroſivi quotidiana portio? Itaque ex mercurio Swietenii methodo dato, ſi ſalivæ fluxus non oriatur, nimis parca ejus doſis videtur in cauſa eſſe. Quod ſi quis dicat, eſſe aliquos, in quibus ſalivæ fluxus movetur ex unguenti inunctione cum mercurio, quamtumvis levi: huic primum reſpondetur, mercurii quantitatem in unguento ſemper eſſe enormiter majorem, quam ſit ſublimati larga quæcumque doſis: deinde fieri poſſe, ut aliquis ſit ea corporis natura, ut exigua ſublimati portio eidem *ptyaliſmum* moveat. Nos id ſolum, quod obſervare datum eſt, exponimus. Nunc reſtat, ut ad obſervatio-

tiones ipſas jam accedamus. Neque enim amplam de hoc remedio tractationem ſuſcepimus, ſed illud, ut initio diximus, nobis propoſuimus, ut Swietenii methodum per ea exempla confirmaremus, quæ apud nos maxime conſtarent. Quibus ſi Medici quidam nimis timidi adduci poterunt, ut, quod ipſi tentavimus, facere non recuſent, jam illud aſſequemur quod maxime optamus. Etenim per iterata experimenta veritas demum invenietur. Interea fidem minus eſſe adhibendam iis, quæ a Viro cæteroquin experientiſſimo Cartheuſero ſcripta ſunt, manifeſtum erit. Is enim hæc habet (*a*): *Sunt quidem, qui illum* (mercurium ſublimatum corrodentem) *in multa aqua ſolutum, vel ſyrupo quodam mitificatum, in variis morbis rebellibus, ut & ad ſalivationem in Lue Venerea excitandam, interea commendant: verum unumquemque hortor Medicum, ut ab uſu concreti hujus corroſivi interne ſemper abſtineat, ſi alias conſcientiam ſalvam, & famam illibatam ſervare velit. Noxæ enim, quas pro-*

(a) *Pharmac. Theor. Pract. Sect. VII. c.* 1. *de Merc. Subl. corr. not. V. p. m.* 191.

produćtum hoc interne uſurpatum infert, non ſemper poſt primam ſtatim ſumptionem, ſed perſæpe poſt notabile demum tempus ſentiuntur. „ Qua ſuf-
„ fulti auctoritate nonnulli calumnias maximas
„ in hoc remedium excogitarunt, eoque per-
„ venerunt, ut ſequentia ſcripſerint: (*a*) *Ma*
„ *diſtrugge egli in generale la cagione, per modo,*
„ *che dopo meſi, o anni, il male ſolamente aſſo-*
„ *pito, non ricompariſca ſotto nuove forme, e che*
„ *gli ammalati, che credevanſi liberi, non cadano nel*
„ *maraſma, o nella cacheſſia? Noi non oſiamo de-*
„ *ciderlo: parci però, che alcuni lo temano per a-*
„ *ver ciò oſſervato in Francia, ed altrove.* Quæ-
„ dam ſunt Nationes, quæ ſua tantum inventa
„ extollunt, aliena vero proſcribere tentant. Æ-
„ gre quidem ferunt tantam gloriam in aliis ef-
„ fulgere, ut in Boerhavio, & Swietenio; qui
„ primi validiſſimis ſuis auctoritatibus quorum-
„ dam animos ad hoc remedium interne & li-
„ bere adhibendum erexerunt. Nec miror ſi ab

„ a-

(*a*) Nell' eſtrat. della Letterat. Europ. di Berna T. II. ann. 1765. nei meſi di Aprile, Maggio, e Giugno.

„ aliquibus improbetur. Satis eſt, ut proprium
„ non ſit inventum, ut ſit novum. Quas con-
„ troverſias non eſt paſſa China Chinæ primis
„ temporibus? Quas nunc non patitur Cicutæ
„ extractus? China nunc ab omnibus commen-
„ datur: Cicuta a ſapientioribus adhibetur. I-
„ dem tandem fiet etiam de mercurio ſublima-
„ to *corroſivo*. Quæ ſuis in regionibus, & Æ-
„ gris obſervarunt aliqui contra hoc remedium,
„ noſtris certe cum obſervationibus non conve-
„ nire videntur. Fatentur tamen illi ipſi, mer-
„ curium hunc ſymptomata venerea maxime
„ imminuere, ſed miaſma penitus non tollere.
„ Fatentur etiam ab hoc ſymptomata quædam
„ eradicari, quæ ab aliis ex mercurio præpa-
„ rationibus ſubigi non potuerunt. At, quæro,
„ ſi imminuit ſymptomata, cur continuatus
„ eadem non tollet? Si, quæ mala aliæ præ-
„ parationes non expugnant, hic expugnat,
„ cur hunc validiſſima facultate non pollere
„ dicemus? *At* (quod numquam ſatis incul-
„ cabitur) *prudenter a prudente Medico!* Hoc
„ eſt, quod animos quorumdam maxime ex-

„ tor

„ torquet. Sed tandem, ut ſuadeant ſibi, Ægri
„ novem, qui in hoc opuſculo curati leguntur,
„ & nonus jam excurrit annus ab eorum cura-
„ tione, omnes vivunt floridiori corporis ha-
„ bitu præditi, duobus tantum exceptis, qui
„ novas ſubeuntes cauſas poſt integram ſalutem
„ receptam, tertio anno morbis acutis perierunt.
„ Mercurius hic non eſt Arbor Vitæ. Sanat præ-
„ ſentem morbum, non præſervat ab aliis. Ex
„ iis vero, qui elapſo anno in hoc Patavino
„ Noſocomio curati ſunt, vix ullus eſt, qui
„ ſanus non exierit. Primus abiit contra o-
„ mnium ſpem a morbo liber, ita & ſecun-
„ dus, quintuſque; at cum iſti Illyrici mili-
„ tes ſint, de iis nihil amplius ſcivi. Ægrotus
„ tertius, quartus, ſextus mihi præ oculis quo-
„ tidie ſunt per urbem vagantes, ut & Ægro-
„ ta decima (non duodecima, quæ novum ſu-
„ biit morbum) & omnes firma in valetudine
„ conſtituti. Hæc ſunt omnibus nota. Ægrorum
„ nomina in Noſocomii Regeſto ſignata ſunt.
„ Præterea quinque ſunt illuſtres hujus Patavinæ
„ urbis Adoleſcentes, hoc ipſo anno a me cu-

„ rati , quorum duo præcipue , hujuſce reme-
„ dii maximam facultatem præſeferunt , quo-
„ niam eorum morbi jam pro deſperatis habe-
„ bantur . Nec obeſt quod aliqui adhuc repo-
„ nere audent , mercurium hunc venenum eſſe,
„ & venena ſemper venena eſſe ; at ab his hoc
„ unum quæro , num opium venenum eſſe
„ judicent . „ Hoc utique affirment neceſſe eſt.
Atqui quam utile interdum ſit opportune adhibitum , imo etiam quam neceſſarium , nemo ex medentibus ignorat. Quam ſi rationem ad ſublimatum quoque corrodentem transferre velint, intelligent profecto a rationali Medico id remedium rejici non opportere , „ plurimique facien-
„ dum eſſe : & ea potiſſimum ratione , quia in-
„ noxium ſemper , commodum , atque effica-
„ ciſſimum inventum eſt . Quare mihi licet , &
„ licebit ſemper concludere ſapientiſſimi Viri
„ Locheri verbis : *Nullus ex vi remedii mortuus*
„ *vel gravius , & periculoſum ſymptoma exper-*
„ *tus eſt . Verum ut efficaciſſimum , & minime*
„ *noxium profuit in plurimis*. Et ita profuit , ut
„ octo annorum circuitu Auctor hic celeberri-
„ mus

„ mus MMMMDCCCLXXX. (*a*) Ægrotan-
„ tes Venerea Lue hoc remedio ſanaverit.

OBSERVATIO I.

Nobilis Juvenis calida, & humida corporis natura, poſt virulentam gonorrhæam, quæ recte curata fuerat, cum ſæpius cum impuris mulieribus rem habuiſſet, ei verrucæ, & exigua ulcera in glande orta ſunt. Hæc quoque curata, ſed virus non omnino ſublatum. Cum hæreditario hæmorrhoidum fluxu laboraret, cœpit eodem copioſiore affici, ita ut in malum corporis habitum inciderit, cum non levi Jecoris, & Lienis obſtructione. Accedebat ſubinde febricula cum ſeroſo alvi fluxu plures dies perſeverante. Ex his malis omnibus vires ita protritæ ſunt, ut vel brevi, & lentæ ambulationi minime ſufficerent. Medicamenta adhibita ſunt multa, eaque ex valentioribus. Quæ cum non ſatis profeciſſent, in eam opinionem veni, ut morbum a latente Venerea Lue fo-

(a) *Loco cit. pag.* 32. 34.

veri exiſtimarem , cujus quædam apparebant non prorſus obſcura ſigna. Nam & capilli magna ex parte exciderant, & latæ , croceæque maculæ , æſtivo præſertim tempore, in ſumma cute efflo-reſcebant , & in glande rubræ, prurienteſque pu-ſtulæ oriebantur, quæ tamen cito per ſe evaneſce-bant. Itaque Ægrum ſublimato mercurio *corroſivo* curare ſtatuimus. Hujus granum unum in dua-bus vini ſpiritus unciis ſolutum eſt, eaque ſpiri-tus quantitas in ſex portiones diviſa , quarum duas quotidie, alteram mane, alteram veſperi Æger ſumpſit. Sex diebus elapſis duæ vini ſpiri-tus unciæ cum uno ſublimati grano in quatuor tantum portiones diviſæ ſunt, intra duos dies ſumendas. Semper autem ſtatim a medicamen-to tres libras potavit decoctionis ex hordeo, at-que altheæ radice. Effectus medicamenti fuit e-juſmodi , ut primis diebus , alvus , quæ antea liquida demittebat, coacta fuerit , & urina co-pioſior fluxerit cum ardoris ſenſu. Præterea le-vis quidam oſteocopus dolor in humeris & ti-biis ſentiri cœpit, qui antea nunquam moleſtus fuerat. Undecimo die ſublimati doſis iterum

au-

aucta eſt ; nam granum in duabus vini ſpiritus unciis ſolutum pro tribus fuit portionibus , ex quibus duæ quotidie datæ ſunt , altera mane , veſperi altera . Hoc modo curatio in quinquageſimum uſque diem producta eſt . Ex hac adaucta ſublimati doſi , primis quidem diebus , alvus ſæpius quotidie cum dolore mota eſt , ſimulque ſanguis ex hæmorrhoidum oſculis copioſior effluxit ; ita tamen ut Æger hæc optime ferret . Procedente tempore alvus aliquantum ſubſtitit , ſed tamen quotidie liquida ſine dolore emittebat ; hæmorrhoidum fluxus imminutus eſt ; ac tandem pro ſanguine tenuis tantum lympha exivit , doloreſque , qui in ea parte ſatis graves erant , plane ceſſarunt . Urina ſemper copioſa profluxit . Sub finem curationis quædam exiguæ puſtulæ in glande ortæ ſunt , ſed brevi ſponte deceſſerunt . Vividus faciei color , vireſque auctæ in dies , ſanationis ſpem jam antea fecerant , noviſſime vero Æger ſe recte habere teſtatus eſt . Cibus ex hordeo , & vitulina fuit carne ; potio copioſa aquæ , in qua hordeum coctum fuit cum altheæ radice . Cœna ,

ſed

ſed parca, conceſſa eſt. Primo curationis tempore lecto ſe continuit Æger, poſtea lectum reliquit, ſed domo non exivit, niſi curatione abſoluta. Paucis poſt diebus aquas Vitriolico-Martiales potavit, eo ſucceſſu, ut in priſtinam ſalutem reſtitutus fuerit.

COROLLARIA.

I. PRimis curationis diebus dolores quidam oſteocopi in humeris, & tibiis excitati ſunt, quos Æger antea non ſenſerat. Cujus rei ea fortaſſe cauſſa aſſignari poteſt, quod ſtagnantem iis in locis humorem offenderit remedium, in cujus diſcuſſione, ſolidorum fibras magis quam alibi irritaverit, atque diſtraxerit: ex quo dolor.

II. Illud animadverſione dignum eſt; cum antea, propter magnam, quæ in ſtomachi, atque inteſtinorum fibris erat, laxitatem, atque debilitatem, alvus liquida amandaret, primis diebus ab incepto remedii uſu coactam fuiſſe. Num id ad ſtypticam, & corroborantem re-

me-

medii facultatem referendum eſt ; ita ut effe-ctus deinde mutatus fuerit, ſolutis a medica-mento humoribus, hujuſque acritate prævalen-te, etiam propter adauctam doſim ? negaverit fortaſſe nemo.

OBSERVATIO II.

ALium quoque nobilem Juvenem bilioſi tem-peramenti, qui ex Venerea Lue vago o-teocopo dolore torquebatur, præſertim in pe-ctore cum recurrenti reſpirandi difficultate, hoc emedii genere, eodem ferme tempore curavi, nempe ad idus Majas anni ſuperioris. Unum ſublimati granum ex duabus vini ſpiritus un-ciis liquatum pro ſex portionibus fuit, ex qui-bus duas quotidie ſumpſit, mane ſcilicet, & veſperi cum liberali portione decoctionis ex hor-deo. Primum dolor auctus, ſed cum quarto die alvus ſoluta fuerit, & poſtea urina copioſa profluxerit, ſenſim mitior factus eſt. Poſt quar-tum decimum diem eadem ſublimati quantitas in quatuor portiones diviſa fuit biduo ſumen-das,

das, ex quo alvus iterum ſoluta eſt. Humida & frigida tempeſtas, quæ ſucceſſit, dolorem & ſpiritus difficultatem exaſperavit. Tamen vigeſimo die ſublimati liberalior doſis data eſt, & granum unum in tres portiones diviſum. Vigeſimo quarto die alvus copioſe deſcendit, neque tamen ſymptomata imminuta ſunt. Triginta diebus exactis dimidiam grani partem potavit Æger mane, itemque veſperi, & quotidie poſtea eodem modo. Hæc doſis, & ſereni dies meliorem ſpem attulerunt: nam cum venter copioſius, & ſæpius moveretur, urinaque largius flueret, mala quoque mitiora facta ſunt, ita ut tolerabilis dolor in uno tantum latere ſupereſſet. Interea is per urbem vagari cœpit, & rus petiit, tuncque propter cœli, & tempeſtatis mutationem, pejus habuit. Brevi in urbem reverſus eſt, & a cœlo calidiori facto, ſudor erupit magno profectu. At quia caloris ſenſus cum febricula moleſtus erat, liberalis ſyrupi ex violis quantitas vini ſpiritui adjecta eſt. Hac ratione ad finem uſque menſis Junii pervenit; remedioque amplius uti abnuit, cum aliquis adhuc

do-

loloris ſenſus in pectore perſiſteret, qui tamen
nguenti ex mercurio frictione levi dolenti par-
i adhibita, ſublatus eſt. Itaque Æger perfecte
onvaluit. Victus ratio eadem fuit, quæ in ſu-
eriori caſu.

COROLLARIA.

CUm ex hujus remedii uſu dolores, qui antea non erant, concitari obſervatum t (Obſerv. I. Coroll. I.) non eſt mirum eos xaſperari, qui adſunt, eadem nimirum de uſa.

II. Ex hoc docemur, non ideo deſperandum ſe de curatione, ſi profectus non ſtatim appa-at, aut ſi morbus potius increſcere videatur; d patientia, & longo remedii uſu opus eſſe. ſeque ad neceſſarium tempus remedio uſus eſt c Æger; cum tamdiu eo utendum ſit, *quam-u aliquid de Luis ſymptomatibus ſupereſt*.

III. Illud quoque ex hac hiſtoria apparet, eli, & tempeſtatis varietatem non parum poſ- ad effectuum hujus medicamenti mutationem.

OBSERVATIO III.

TErtius Æger, cui hæc eodem tempore adhibita eſt medicina, nobilis item fuit Juvenis, qui diram Luem ex impura Venere contraxerat, cum faucium ulceribus, quibus ſanatis, puſtulæ in fronte cum dolore ortæ ſunt, acrem ichorem fundentes, quæ medium quoque dexteræ manus digitum occuparunt, circa oſſis primæ cum ſecundæ phalangæ oſſe articulationem, cum inſigni tumore, ac dolore, ita ut complicari non poſſet. Acceſſit ſtomachi angor, & ſpiritus difficultas. Initium captum eſt ab exigua ſublimati doſi, & ei ſexta tantum grani pars bis quotidie dabatur, mane, & veſperi; ſed paullatim adſcendendo, tandem eo pervenit, ut granum unum cum dimidio quotidie ſumpſerit ex vini ſpiritu liquatum, & in duas portiones diviſum. Adjecta quoque copioſa potio ex hordei decocto, eademque, quæ in aliis, victus ratio ſervata eſt. Huic Ægro protinus inter initia copioſe ſudor effluxit, itemque urina

ſi-

ſine ullo labore. Decimo die alvus copioſe deſcendit, ex quo ſudor repreſſus eſt, qui ſtatim rediit, quod alvus per ſe ſuppreſſa, neque poſtea reliquo curationis tempore, turbata fuerit. Inter hæc ex frontis puſtulis ichor fœtens exhibat, & ſquamæ quædam decidebant, ſed aliæ oriebantur, quod & in digito contigiſſe obſervatum eſt, cujus tamen dolor, ac tumor ſenſim imminuebatur, motuſque expeditior erat. Secundo, & vigeſimo die puſtulæ omnino exſiccatæ ſunt, ex quibus quædam tantum ſtygmata relicta. Sudor ad quadrageſimum uſque diem emanavit. Stomachi angor evanuit, itemque ſpiritus difficultas. Vires conſtabant. Quædam tamen puſtulæ ſubinde naſcebantur, quas unguentum ex mercurio affectæ corporis parti illitum, ſuſtulit. Jam Æger e cubiculo exire, atque ipſa domo cœpit, caute tamen; curationeque in ſexageſimum diem producta, ſe ſanatum putavit. Procedente tempore rurſus quædam puſtulæ identidem in fronte ortæ ſunt: cæterum hactenus bene ſe habet. Quod adnotare æquum erat.

COROLLARIA.

I. VIm hujus remedii, qua excretiones promovet, pro varia Ægroti conſtitutione varie determinari apparet ex hac hiſtoria. Nam alvus ſemel tantum mota eſt; copioſius autem ſudor diu manavit, & urina largius profluxit.

II. Uſus remedii fuit fortaſſe brevior, quam opus erat. Quamquam enim ſecunda valetudine frui videatur adhuc nobilis Juvenis, locus tamen relinquitur dubitationi, num renaſcentium ſubinde puſtularum cauſa quibuſdam Luis reliquiis inhæreat.

OBSERVATIO IV.

MUlto breviori temporis ſpatio curatio facta eſt Aurigæ cuidam ann. xx., & ſanguinei temperamenti, plenique habitus, cui ex Venerea contagione tumor in inguine ortus, neque recte curatus, & a quinque retro menſibus adhuc apertus, dolores arthritico-rheumati-

cos intulerat, maxime in artubus ſuperioribus, atque intercoſtalibus muſculis cum ſumma reſpirandi difficultate. Sublimati granum in duabus vini ſpiritus unciis ſolutum ea ratione præſcriptum fuerat, ut ejus quartam partem bis quotidie ſumeret cum larga potione decocti ex hordeo. Sed primo ſtatim die integram tertiam partem mane deglutivit. Ex quo nimis copioſa dejectio ſequuta eſt cum magnis ventris torminibus, quæ lacte liberaliter epoto, ſublata ſunt. Remedium ad ſequentem diem dilatum eſt, quo tertia denuo grani pars ſumpta eſt, neſcio quo errore; ac rurſus dejectio, & tormina orta ſunt, ſimulque ſudor effluxit. Atque ille quoque dolor exaſperatus eſt, quo artus torquebantur. Quæ omnia tamen paullatim ceſſarunt. Poſtero die major cautio adhibita eſt, & quarta tantum grani pars ſumpta, & ſtatim poſtea decoctio copioſe epota hordei, cum quarta lactis parte commixta. Itaque medicamenti effectus mitigatus eſt, adeo ut ſudor, & parca alvi dejectio ſine dolore ſuccederet, totoque curationis ſpatio perſiſteret. Tamen parva ſimul glandu-

dularum ſalivæ tumefactio cum levi dolore, & ſputo aliquo orta eſt, quæ phœnomena citiſſime deceſſerunt. Inter hæc morbus levari viſus eſt, ut ſublimati doſim non eſſe augendam judicaverim. Quarto die ſupra vigeſimum, cum jam inguinis tumor cum ulcere ſponte ſanatus eſſet, Æger, ſe omnino reſtitutum putans, ulteriorem curationem rejecit.

COROLLARIA.

I. HUic Ægro, paullo antequam curationis initium feciſſem, ſanguis, inciſa vena, miſſus eſt. Num hac de cauſa expedito ſanguinis circuitu, ejuſque craſſitie non nihil attenuata, tam promptæ excretiones contigerunt, tamque citum ſymptomatum levamen? „ Ita „ putavi: quod poſtea variis experimentis ve„ rum eſſe deprehendi, ut in Obſervationibus „ in hoc Noſocomio Patavino factis, videre eſt.

II. Sputum illud, quod motum eſſe videbatur, nullius momenti fuit. Nam remedii uſu procedente, non ſolum non auctum eſt, ſed protinus plane ceſſavit.

OB-

OBSERVATIO V.

NOn multo poſt curatio adhibita eſt egregio cuidam Adoleſcenti calida, & ſicca corporis natura. Gonorrhæam ille ſæpius contraxerat ex impuro concubitu; tum glandis ulcera. His malis omnibus jampridem ſublatis, adhuc ſupererat moleſta prurigo in urethra, & ardoris ſenſus in reddenda urina; parva quoque ulcera identidem in glande naſcebantur ſine nova contagione. Proceſſu temporis duo tumores in inguine orti ſunt utrinque, alter ad magnitudinem nucis juglandis cum dolore, qui acrior fiebat inceſſu. Ex quibus omnibus inteſtinæ Luis conjectura facta eſt. Ordo curationis fuit hujuſmodi. Uno ſublimati grano ex tribus aquæ unciis liquato, ſexta aquæ illius pars mane, itemque veſperi data eſt in nonum diem, potione omiſſa decocti ex hordeo. Ac primum alvi dejectio eſt conſequuta cum levi dolore, deinde ſudor copioſiſſimus; cum hoc larga urina. Simul febricula invaſit Ægrum, & capitis dolor, qui hora demum quinta a medica-

men-

mento ceſſabat, atque ille exaſperatus eſt, quem jam antea bubones afferebant. Sed nihil fuit moleſtius quam ingens ſitis. Quare doſim quidem ſublimati ita auxi, ut ille quartam grani partem bis quotidie ſumeret, ſed juſſi ut aliquantulum ſyrupi ex violis cum eo miſceretur, & poſt ſumptum medicamentum libram unam biberet decocti ex hordeo. Hinc ſudor cohibitus, & rurſus alvus per aliquot dies, ſine dolore tamen, ſoluta eſt. Febris, capitis dolor, ſitis deſierant, cum iterum ſublimati doſis aucta eſt, ita ut tertia daretur grani pars bis ſingulis diebus. Ex quo tamen neque venter motus eſt, neque ſudor, neque urina; atque ita medicamento aſſueverat, ut interdum illud etiam, non adjecto ſyrupo ex violis, ſine potione decocti ex hordeo, ſumeret, quin ulla moleſtia ſubſequeretur. Quo cum ille ultra duos menſes uſus eſſet, & nihil, præter cibum, quem lenem ac tenuem ſumpſit, ex reliqua victus conſuetudine mutaſſet, inguinis tumoribus prorſus diſcuſſis, cæteriſque malis depulſis, priſtinam ſanitatem recuperavit.

Co-

COROLLARIA.

I. Febris, ſitis, dolor capitis ad medicamenti effectus pertinent, quod periculi faciendi cauſa, non adjecto ſyrupo ex violis, nec ſubſequenti potione, primis quidem diebus datum eſt, ſed exigua doſi. Procedente curatione hoc modo interdum datum eſt etiam majori doſi; tamen neque febris, neque capitis dolor, neque ſitis rediit, neque damnum ullum illatum eſt. Quanto igitur minus ab eo timendum eſt, cum ejus violentia tot modis coerceatur?

II. Oſtendit hæc obſervatio non minus utile hoc medicamentum eſſe ex aqua, quam ex vini ſpiritu liquatum; ut ideo hæc methodus ſervari poſſit, ſi alteram aliqua de cauſa interdum minus aptam cenſuerimus.

OBSERVATIO VI.

CUratio alia cujuſdam Piſcatoris ann. circiter XL., ſicca, & calida corporis natura incepta eſt menſe Auguſto ejuſdem ſuperioris anni. Ille dira Venerea Lue laborabat, quæ neque inunctione ex mercurio iterum, atque tertio facta, neque poſtea decoctis, quæ huic morbo adverſantur, ſanari potuerat. Symptomata præcipua hæc erant. Ulcus peſſimum in ſiniſtro crure, tophique in eodem genu: hinc crus extendi non poterat, & Æger claudicabat. Pone aurem quoque ſiniſtram ulcus erat magnum & ſordidum. Igitur ſublimatum corrodens eadem methodo datum eſt in vini ſpiritu ſolutum, adjecta potione decocti ex hordeo, incipiendo a ſexta grani parte. In ſextum uſque diem nullam perſenſit mutationem, præter copioſam urinam copioſæ potioni reſpondentem. Sublimati doſis ita aucta eſt, ut pars grani tertia ſumeretur; ex quo alvus aliquantum mota eſt, & ſudor noctu manare cœpit. Simul gra-

vis

vis corporis æſtus ortus eſt cum brevibus, ſed vehementibus nervorum concuſſionibus: ideo malui unum ſublimati granum ex dimidia aquæ uncia liquari, integra adjecta ſyrupi violacei uncia. Itaque æſtus, & nervorum concuſſiones ceſſarunt, ſudore, & copioſa urina profluente. Sumpſit autem exinde quotidie mane medium granum, tantumdemque veſperi. Circa vigeſimum diem, omnibus admirantibus, ulceri illi, quod erat pone aurem, cicatrix inducta eſt, & crus extendi cœpit. Procedente tempore Æger melius, atque melius ambulavit, & ſcalas quoque aſcendit, quod antea non poterat. Exacto ſecundo curationis menſe, granum unum cum dimidio quotidie datum eſt in duas portiones diviſum, alteram mane, alteram veſperi ſumendam. Tophi ſublati, cruris ulcus ſanatum, & omnino ſanitas reſtituta eſt; ſic tamen, ut nondum crus perfecte extendi poſſet. Tribus menſibus uſus eſt remedio, eademque victus ratione qua cæteri.

COROLLARIA.

I. HUic Ægro, qui ſicca & calida corporis erat natura, ſublimatum ex aqua melius ceſſiſſe, quam ex vini ſpiritu liquatum, perſpicuum eſt.

II. Nonne valentius, utiliuſque fuit hoc remedium, quam inunctio cum unguento ex mercurio, & decocto? ipſe oſtendit eventus.

III. Quod ſi expedite cruris extenſio non eſt reſtituta, non eſt ideo remedium accuſandum. Læſa enim fortaſſe fuit in genu articuli fabrica a tophis illis; aut continuata cruris complicatio fecit, ut nunc membrum penitus extendi non poſſit; ut anchyloſis fit, ubi oſſibus fractis, membrum nimis diu ſine motu continetur.

OBSERVATIO VII.

IN idem fere tempus incidit curatio nobilis cujuſdam Juvenis ann. xxx. ſanguinei, & melancholici temperamenti, qui jam primum

phlo-

phlogoſi quadam gingivarum cum gravi dolore afficiebatur, quibus mœror, & triſtitia accedebat. Itaque morbus Hipochondriaco-Scorbuticus videbatur. Præceptum eſt, ut ſero lactis depurato commixto cum ſuccis aliquot earum herbarum, quæ valent contra eum morbum, uteretur; tum decoctis diluentibus, attenuantibus, ac demulcentibus. His omnibus remediis diu adhibitis, adeo non melius ſe habere viſus eſt Æger, ut herpeticum ulcus totam ejus genam occuparit, uſque ad partem auris poſteriorem. Optimis remediis non proficientibus, cum multos ante annos virulentam gonorrhæam paſſus eſſet, ſuſpicari cœpi morbum a latente Venerea Lue foveri, ex monitu celeberrimi Aſtruc. Ideo, cum alii quoque Medico Carolo Terzi idem viſum fuiſſet, curatio incepta eſt cum ſublimato corrodente ex aqua liquato, & ſyrupo violaceo adjecto, cum potione decocti hordeacei. Primis diebus, cum ſexta grani pars mane, itemque veſperi ſumeretur, nulla mutatio facta eſt. Deinde, aucta doſi ad quartam grani partem, alvus aliquantum ſoluta eſt, lar-

ga quoque urina profluente. Tandem dimidium grani mane, dimidiumque veſperi datum eſt ſingulis diebus uſque ad finem tertii menſis, urina plerumque copioſa exeunte. Quo tempore ſymptomatibus omnibus ſublatis, curatio abſoluta eſt. Primis diebus ſaliva nonnihil copioſa ferri viſa eſt, ſed ſine oris interni intumeſcentia, & dolore; brevique ſponte ceſſavit.

COROLLARIUM.

CONjectura noſtra, morbum illum Venereæ Luis ſobolem fuiſſe, ſive vera fuerit, ſive nos fefellerit, illud certum eſt, ſanitatem Ægrum recuperaſſe; quod eo magis mirandum eſt, quia ex mercurio remedia fere noxia deprehenduntur in iis, qui affectione ſcorbutica tentantur. Valet autem hoc remedium, ut ex ipſis quoque Clariſſimi Swietenii epiſtolis manifeſtum eſt, adverſus alios morbos, præter Veneream Luem; quod ſequenti obſervatione nonnihil confirmari poteſt.

OB-

OBSERVATIO VIII.

NAm vir ann. XL. ſanguinei temperamenti, & bilioſi, frigore, poſt corporis incaleſcentiam, ſuſcepto, cum per omnia membra doloribus Arthritico-Rheumaticis, & febri correptus, neque Boerhavii methodo antiphlogiſtica, neque poſtea decocto ex Sarſ., radice Cin., & herbis temperatis anti-ſcorbuticis reſtitutus eſſet; ſub finem menſis Octobris elapſi anni curari cœpit ſublimato corrodente ad eumdem modum dato. Cujus effectus per quadraginta dierum ſpatium fuit copioſus urinæ fluxus. Quibus diebus exactis prorſus ſanatus eſt, cum a tribus antea menſibus lecto affixus, ne ſe movere quidem poſſet. Hic quoque Æger, & qui huic proximus eſt, eadem, qua cæteri, victus ratione eſt uſus.

COROLLARIUM.

ITaque ex his omnibus concludi poteſt, hoc remedii genus in alios quoque morbos valere, quod pluribus exemplis comprobare poſſem; ut ruſtici cujuſdam, qui duro abdominis tumore cum malo corporis habitu premebatur, quem unus ex meis diſcipulis ſanitati reſtituit: & aſthmaticæ item mulieris, quæ ab incipiente jam hydrope, hujus remedii ope, copioſa urina promota, liberata eſt. Verum, quæ hactenus expoſui, mihi nunc ſatis ſuperque meo conſilio videntur ſatisfacere.

CLARISSIMO VIRO

JOSEPHO BENVENUTO

LUCENSI

GHERARDUS BARO WAN-SWIETEN

S. P. D.

OPuſculum tuum accepi, libenter legi, & gratias debitas tibi ago. Mercurii uſum nagni facio, ſed multa hic opus prudentia eſt, n primis cum crudus datur, vel affricatur cu- i. Non omnibus bene ceſſiſſe hæc tentamina cio. Si mercurius ſublimatus corroſivus ſolva- ur in ſpiritu frumenti rectificato hac lege, ut n ſingulis unciis ſpiritus hæreat medium gra- ium, & deinde hujus detur mane & veſperi ochlear adultis, vel ad ſummum duo cochlea- ia, potando ſimul largam copiam decocti hor- lei, vel alterius cujuſcumque emollientis, mi- a efficacia obſervatur in Lue Venerea, & aliis

morbis difficillimis. Tercentos Lue laborantes in Noſocomium collegi præterito anno, & abſque ſalivatione omnes exierunt ſani hoc ſolo remedio uſi. Parum argenti vivi, ſed efficaciſſimi redditi, & multa liquidi copia diluti, vidi profuiſſe quam maxime. Vale, & me ama.

CLARISSIMO VIRO

JOSEPHO BENVENUTO

LUCENSI

GHERARDUS BARO WAN-SWIETEN

S. P. D.

USus illius remedii tandiu protrahitur, quamdiu aliquid de Luis ſymptomatibus ſupereſt. Tuto ſumitur etiam diu. Cancroſum in lingua ulcus curatum vidi, dum per novem menſes hoc remedio uteretur puella, & abſque noxa ulla. A pinguibus ſale, vel fumo induratis, lardo inprimis, abſtinendum jubeo; juſcula, olera mollia, carnes paucas concedo facile. Ptiſanam hordei cum quarta parte lactis copioſam do, vel aliud quodcumque decoctum emolliens. In Noſocomiis cubiculi ambitu continentur. Plures curavi, qui quotidie per urbem vagabantur, in primis verno & æſtivo tempo-

re. Præterito menſe ducenti e Noſocomio exierunt curati hac methodo. Poſt paucos dies tercenti alii ingrediuntur. Credo & apud vos ſimilem ſucceſſum ſperari poſſe, cum in Hiſpania per decem annos inveteratam Luem ſic curaverit Archiater Reginæ Viduæ, cui indicaveram hoc remedium.

13. *Aprile* 1755.

NOI

RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del pubblico Reviſor D. *Natal dalle Laſte* nel Libro intitolato *Obſervationes Medicæ Joannis a Bona &c. MS.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Catolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giovambatiſta Penada* Stampator di Padova, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite Copie alle pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 9. Maggio 1766.

(Angelo Contarini Proc. Rifor.
(Andrea Tron Kav. Rifor.
(Girolamo Grimani Rifor.

Regiſtrato in Libro a Carte 276. al Num. 1747.

Davidde Marcheſini Segr.